





JOHANNIS CRATONIS A KRAFTHEIM,

Archiatri Cæsarei

CONSILIORUM ET EPISTOLARUM

Medicinalium

LIBRI SEPTEM

Studio & labore

LAURENTII SCHOLZII

Medici Vratisl. in lucem editus.

LIBER PRIMUS

Cui accessit ejusdem Autoris Introductio ad artem Medicam

Cum duplici Indice Consiliorum & Rerum



FRANCOFVRTI

Sumptibus JOHANNIS PETRI ZUBRODT.

ANNO M.DC.LXXI.

Clarisſ.atq; Excellentisſimo Viro, Domino

SEVERINO GOBELIO PHIL. ET MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO AC ILLUSRISS. DUCIS BORUSSÆ MEDICO DIGNISS. AMICO. PLUR. OBSERVANTIA COLENDO.

Librum hunc primum Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium D. Ioannis Cratonis, &c.

Syncerӕ amicitiӕ
Ergò
LAURENTIUS SCHOLZIUS
Medicus Vratislavienſ. D. D.



LAVRENTII SCHOLZII MEDICI VRATISLAVIENSIS.

Ad sanioris Medicinæ cultores.

PRÆFATIO.



Ui toto vitæ suæ curriculo nihil prius neque antiquius habent, quam ut quacunque tandem id ratione fiat, prosint omnibus, obsint nemini, liberale, mea quidem sententia, ac laude sempiterna dignissimum institutum sequuntur. Quoniam autem hæc mutua inter homines beneficentia multis ac variis modis exerceri potest, utro beneficio magis, eone quod in contemplando ac scribendo consistit, an vero eo quod agendo perficitur, posteritati prosimus, à multis hactenus disputatum est. Verum si ingenuè quod res est, fateri volumus, concludamus necesse est, eos qui agendo de mortalium genere bene merentur, pergratam magis, magisque præsentem,

ac in oculos hominum incurrentem utilitatem præstare: illos verò qui suorum, vel aliorum librorum editione publicis commodis serviunt, nomenque suum de multis promerendi studium, posteris commendare conantur, si non adeo præsentem ac conspicuam, ac certè communem magis magisque necessariam ac perpetuam commoditatem afferre. Utroque verò modo prodesse, licet paucissimis concessum sit, quod nimirum vita sedentaria, quæ libris ad editionem parandis inservit, & publica negotia non parum inter se adversari soleant; nonnullos tamen hoc feliciter præstitisse, quorum exemplum nos pro virili imitari decet, omnibus notum ac manifestum est. Investiganti autem mihi causam, cur post cœlestis doctrinæ studium, nihil tam proprium humanitatis atq; amoris sit, quam præclarè de mortalium genere promereri, alia non occurrit, quam hominem ad evehendas Dei laudes, & ad promovendam humanæ societetis utilitatem conditum esse, eamq; nulla alia re ad primi illius rerum omnium conditoris similitudinem propius accedere, ejusque naturam æmulari, quam ipsa beneficentia posse. Huc accedit immortalitas inexhausta atque insita omnium animis aviditas, in quam quisque non tam desiderio, quam studio, non tam suiipsius, quam posteritatis suæ causa omni labore, & cura & industria incumbit. Hęc mihi cogitanti, & illorum studia, quorum in hunc usq; diem gloriosa est apud homines eruditos recordatio, memoria repetenti, illud mihi in mentem venire solet nullam veræ solidæq; felicitatis atque immortalitatis consequendæ vi-

am

am magis compendiariam esse, quam ut omnia consilia & conatus nostros ad gloriam Dei, & ad juvandam communem hominum utilitatem dirigamus. Hæc cum ita sese habeant, candidum ac intelligentem lectorem, quod utilitatis publicæ provehendæ gratia, librum hunc consiliorum Medicinalium, quibus, ut verum fatear, mirificè sæpenumero, dum Medicinam facio, adjutus sum, quæque multis ex usu fore, id quod æqui rerum æstimatores judicabunt, non dubito, in publicum emiserim in malam mihi non interpretaturum partem; sed potius me adversus censoriam quorundam animadversionem defensurum esse, certo mihi persuasum habeo. Cur enim mihi non liceret, quod laudatissimis nostræ ætatis viris (quorum operam & exemplum nos imitari decet) non sine laude cōceditur? Quod si itaque hoc nostrum qualecunq; studium bene collocatum, atque ab artis nostræ studiosis candido animo susceptum intellexero, operam sedulo dabo, ut hujus argumenti multa & eximia, quæ jam in promptu habeo, paulo post, Deo juvante, studiosis quoque communicem. Interim ut his feliciter fruantur ex animo opto. Et hæc habui, quod benevolo lectori, ut consilii mei rationem plenius & rectius cognosceret, in præsentarium insinuare volui. Quod restat Magnificum & Nobilissimum virum JOHANNEM BAPTISTAM CRATONEM À KRAFTHEIM, sacratissimæ Cæsareæ Majestatis, Aulæ familiarem, Dominum ac Patronum meum charissimum, peramanter rogatum volo, ut me in hoc proposito meo, quod à me bono animo & studio susceptum

eſt pro virili in poſterum juvare velit. Idem etiam peto ab omnibus, qui ſtudio Medico addicti ſunt, ut ſi quæ conſilia, à Germanicis Medicis, iis præſertim, qui diem ſuum jam obierunt, conſcripta, in quibus generoſa aliqua remedia, aut ſingulares obſervationes continentur, in poteſtate ſua habent, ea mihi ſyncerè communicare non dedignẽtur, præſertim cum iſti conatus mei ad nihil aliud, quam ad ornandos Germaniæ noſtræ Medicos, eorumque memoriam ad poſteritatem propagandam directi ſunt. Quod ſi, ut ſpero, obtinuero, ita me illi, qui hac in re mihi gratificabuntur, hoc nomine ſibi devincient, ut non ſolum eo celerius in reliquis partibus edendis, progreſſurus ſim; verùm etiam ut me viciſſim gratum erga illos declarem, eorum honorificam, ſi quando conſilia illa ad me transmiſſa in apertum proferam, mentionem facturus, ac talia, quæ ipſis non minus, quam hæc mihi, grata erunt, rurſus illis communicaturus ſim. Tanti certe apud me eſt rem medicam juvandi ſtudium, ut ſi modo quippiam, quod multis ex uſu eſſe poſſit, moliri ac meditari valeam, nihil unquã laboris, etiam in hac vita mea occupatiſſima, intermiſſurus ſim. Neque id immerito. Fit enim ut quo magis quisquam ejus artis, quam cupidè exercet ac profitetur, amore delinitus eſt, eo ad ejus quoque ſummam perfectionem ſtudioſius contendat. Licet enim hoc tempore cum publicorum, cùm privatorum laborũ, multo plures, proh dolor, reprehenſores, quam fideles adjutores, aut fautores reperiantur, ac plerique ſibi tantum nunc prodeſſe ſtudeant: in ſummam tamen ſpem erigor,

fore

fore aliquos, qui auxilio ſuo fideliſſimo, quo ad poterunt, me hac in parte adjuvare non intermiſſuri ſint. Confido etiam, quod hactenus privatim aliquot præſtantibus Medicis probatum fuit, illud idem omnibus nunc quoque fore gratiſſimum, meamque operam apud eos, qui guſtum aliquem horum conſiliorum perceperint, non inutiliter collocatam iri. Verum ut tandem aliquando finem huic præfationi imponam; Deo fonti & autori omnis ſapientiæ, ac felicium & ſalutarium Medicationum, quod & tantam remediorum varietatem ad hominum utilitatem, in natura condiderit, ac uſum eorum nobis patefecerit, gratias, quas mente concipere poſſum, ago maximas, eundemque, ut ſubinde quoque alia præſtantia ingenia, quæ conſervatione doctrinæ, & officiis medicationis poſteritati proſint, excitare dignetur, ardentibus votis oro, ſed de his quoque ſatis. Bene & feliciter valete, lectores candidiſſimi, ac mihi, ſi quid liberius aut imprudentius effutivi, ignoſcite, meque veſtris commodis addictum, quod mutuo facietis, amate.

Vratislaviæ, die 5. Febr. Anni
M. D. XCV.

FLAMINII GASTONIS SIL. AD LAVRENTIVM SCHOLZIUM PHIL. & MEDICINÆ DOCTOREM
ELEGIA.



IS nulla est. Vterq; prior. Nam CRATO quadrigis
Vectus in emeritis tempore: sed meritis.
SCHOLZIVS, humano cepit qui pectore majus,
Cuncta aliis dare quam cuncta habuisse sibi,
Lis tamen opportuna: petit quod quisq; coronam
Et docuisse valens, & didicisse volens;
Si perstas, gentisq; tuæ, ô artisq; verendæ
Grande decus SCHOLZI, lis tibi perpetua
Ampla etiam. Namq; ut mundo quis sidere natus
Est meliore, tua laude vel invidia
Hac potiora vehet: quin fixa scientia menti
Si fuerit Medica, hinc ingredietur opus
Artis opus, spretis Indis Germana juventus
Hinc petit: Hinc oritur sola serena dies.

IN



IN CATARRHO PRO QVODAM NOBILI VIRO.

CONSILIVM I.

IN hac morum & iudiciorum corruptione, educationis negligentia, vitæque intemperantia, vix ullum hominis corpus invenitur perfecte atq; integre ſanum.

Multi enim morborum originem ex ipſo ſemine quaſi trahunt, non paucos mala educatio, & ineuntis ætatis labefactatio corrumpit, plurimorum valetudinem intemperantia, & morum communium perverſa imitatio debilitat atque frangit. Sunt etiam qui cum in imperitos. Medicos incidunt, importunis atque intempeſtivis medicationibus graviter affliguntur. Siquidem pharmaca exhibita plus damni illis afferunt, quam ex morbo, cujus cauſa medicamentum inſtitutum fuerat, eſſe

poterat.

poterat. Sed hoc quidem ut in malis ferendum est, illud culpandum, cum homines in quadam persuasione perfectæ ac integræ sanitatis consequendæ corpus perpetuo medicamentis vexant, & non potius naturam quandã diligentia adjuvant. Gravi enim cum periculo ijs medicamentis auxiliũ adferimus, quos recta victus ratio curare poterat. Cum verò T. H. propter dubiam & vacillantem valetudinem sæpe sit confugiendum ad Medicos, & ab his auxilium petendum, pro mea erga te benevolentia, tuoq; rogatu, serias cogitationes de valetudine tua curanda atq; confirmanda suscipere volui, & eas scripto explicare. Primum igitur quod in recta curatione fieri necesse est, deducam omnia symptomata ad morbum ipsum, deinde horum causas ostendam, atq; quo pacto ijs recta victus ratione & medicatione sit occurrendum, per sua contraria declarabo. Symptomata autem literis atque sermone mihi commemorata hæc sunt; primum conqueritur tua humanitas, te affligi catarrho, eoque gravius laborare annis climactericis atq; Enneaticis, & æstate eum quie-

-scere,

ſcere, hyeme, præſertim ſub initium veris, gravius moleſtare, tum memoriam eſſe diminute læſam, ſtomachum interdum dolere, appetentiam amittere, eamque potu quaſi excitari. Alvum eſſe adſtrictam, & poſt largiorem potum ſolvi. In Polonia, id eſt, in locis humidioribus reſpectu tuæ habitationis, & melius dormire, & alvum fluidam eſſe, cęterum tenſionem in dextro hypochondrio, & punctiones quaſdam in ſplene vobis moleſtiam exhibere, & horis matutinis, in pedibus quaſi ſpaſmum vos ſentire. Hæc fere ſunt ſymptomata omnia ad me perſcripta. Etſi autem familiare Medicis in humanis corporibus, quorum valetudo infirmior eſt, accuſare Hepatis caliditatem, & ventriculi frigiditatem: tamen in T. H. vere hoc facere licet. Nam ructus acidi, item ſitis nonunquam longe poſt paſtum, certiſſima indicia ſunt debilis caloris ventriculi, & tardæ coctionis. Epar vero calidũ indicant omnia pene ſymptomata. Recte enim catarrhos & ſimiles affectiones capitis Galenus ad epatis caliditatem retulit. In tua vero humanitate non tantum epar; verum & renes calent, & ab

omnibus venis multum vaporum calidorum ad caput perpetuo transmittitur. Inde nil mirum cerebro existente frigido & sicco, quin multæ fluxiones concitentur. Sunt autem hujus temperaturę cerebri notæ non obscuræ, videlicet offensio prompta à causis frigidis, inæqualis & parum firma sanitas, excrementorum inconstans evacuatio, somniq; paucitas. Item ꝙ interdum plane caput videtur bene affectum, mox catarrhis à levissimis causis tentatur. Hæc signa omnia Galenus, & reliqui Medici temperaturæ frigidiori & sicciori cerebri tribuunt. Etsi vero siccioris cerebri homines fideli atque constanti memoria, & sensuum perspicuitate præditi sunt: tamen formarum non facile susceptivum cerebrum habent, unde discendi difficultas oritur, nec nisi sæpe multumque inculcatis rebus memoria firma est. Accedit his vaporum ascensus perpetuus, inde haud dubie cerebrum superflua quadam humiditate male afficitur, quæ memoriæ obest, & gravedinū atq; distillationum causa est. Quod vero his maxime vexatur annis climactericis & Enneaticis, familiare est omni-

omnibus hominibus, indigetque explicatione longiore, quæ ad Mathematicos magis, quam Medicos ſpectat. Cęterum catarrhum hyeme præcipue infeſtare, minime mirum, cum, ut Galenus inquit, etiam in corpore temperato pituita hyeme abundet. Eſt autem ſub initium veris fluxionum motus vehementior, & per hyemem collecti humores in capite reſolvuntur atque diffluunt, ideoque opera danda, (quemadmodum oſtendemus) ut cauſæ excrementorum quantum licet vitentur, membra roborentur, tam demandantia, quam ſuſcipientia collecta præparentur, & tempeſtive educantur. Sed redeo ad ſymptomatum explicationem. Dolor ſtomachi, exigua appetentia, humidi largioris tolerantia, & ingeſto cibo cupiditas edendi, hæc frigidiorem atque humidiorem ventriculum indicant. Nam humidioribus gaudere & famem tolerare humiditatis indicia ſunt. Debiliorem autem coctionem efficit debilior calor, inde flatus qui ventriculum diſtendunt, chyli deſcenſum remorantur, & non raro graviſſimas tenſiones, & obſcuri quaſi ventriculi ab hac do-

lores excitantur. Cum autem epar sit calidius, sæpe ad se trahit imperfecte coctum chylum in ventriculo, atq; intestinis, fiūtq; in eo obstructiones; magna etiam copia feculentorum humorum transmittitur ad splenem, inde non mirum si tensionem, & punctiones interdum in hypochondrijs sentiat, & alvus siccior excrementa difficilius deijciat. Imo hoc magis mirandum est, non succedere ejusmodi dispositioni Melancholiam, quam hypochondriacam & flatulentam, de sententia Dioclis Galenus vocat. Humiditas autem aeris, & ratio victus in Polonia facit, ut melius dormiat atque egerat. Tensio matutinę in musculis pedum, quam spasmum tua humanitas esse arbitratur, est familiare symptoma debilis coctionis primæ, & indiget longa explicatione. Et haud dubię cum non solum vapores; verum etiam materiæ ad cerebrum deferantur, ad pedes etiam ejus materiæ catarrhosæ aliquid defluit, atque in panniculis musculorum istas tensiones matutinis horis efficit, nisi per sudorem atque halitum evacuetur, postea vero motu discutitur. Ne autem dolores articulorum, aut

spasmus

ſpaſmus ſequatur, optimi remedij genus eſt, cruditatem atq; evaporationes vitare, id quod non ſolum fit medicatione; ſed recta etiam victus ratione. Itaq; cum cauſas morborum atq; ſymptomatum in hoc corpore arte inventas explicaverim, de curatione nunc agemus. Illud primum monendum, cum membrorum, videlicet ventriculi, epatis, cerebri, addo etiam ſplenis, & renum magna ſit inæqualitas, & ad æqualitatem quandam perfectam vix poſſint reduci, integram & plane inculpatam ſanitatem non debere promittere, ſed ne ſæpe graviter & periculoſe labores, te diligentia tua, & Medico recte viam monſtrante poſſe conſequi. In eo vero ſequemur Medicorum præſcriptum, illud de ſententia Hippoc. atque Platonis monentes: omnia prius ad valetudinem rectam conſequendam tentanda eſſe quam corpus medicamentis laborioſe commovendum. Nam licet ea innoxia videantur; perpauca tamẽ ſunt, quę non ſumere difficile atq; laborioſum ſit, tum quia naturę, quæ materiam ad membra trahit, contrarias effectiones detrahendo habent; tum quia rariſſime tan-

tum mali humores eorum vi evacuentur; verumetiam bonorũ aliquid, & interdum spiritus ipsi aliqua ex parte decedãt. Quare ut recte valeas omnis excessus aeris vitandus quantum in nobis est, ventorum & imbrium violentia fugienda. Etiamsi vero omnes cœli atq; aeris injurias effugere difficile sit; tamen aliquas possumus mediocri diligentia declinare. Lædit autem præcipue omnis aeris intemperies eos, quibus caput infirmum est, & catarrhosis maxime vitandus nocturnus aer, & flatus australes atq; occidentales. Sed de his non libet jam plura præcipere. Victus ratio recta tuæ humanitati nota est, & cum sciam te nihil facere in ea immoderate atque intemperanter, pauca monebo. Nam singula, quæ salubria atque insalubria censentur, recitare supervacaneum esset, cum ea ex omnibus scriptis cognoscere possis. Primum tua humanitas utatur cibo simplicissimo. Nam veteres, ut testatur Galenus, ita simplicitati ciborum studebant, ut uno pastu carnes, altero solum panem ederent, sed nos convenientius pane atque carne vescimur. Si vero jam aliter consuevisti vivere, non temere

nere aut ſubito , ſecundum præceptum Hippocratis,conſueta mutabis. Illud exiſtimabis veriſſimum , vix aliud æque ad vitandam cruditatem , quæ maxime noxia eſt,facere , quam ſi cibo ſimplici utamur, eo etiam interdum pro conſuetudine deteriore. Secundo,etſi ventriculus humidus eſt,& humida appetit ; tamen rectius meo judicio aſſatis , quam elixis carnibus uteris. Vitabis autem uſum præſertim pinguedinem , & humida , quæ ventriculum relaxant,quantum poteris , & pro humorum redundantia cibis convenientibus uteris. Sunt vero duo admodum contrarij humores , nempe , crudi & aduſti in tuo corpore. Sed ſub initium veris crudi magis moventur , ſicut ſub initium hyemis aduſti. De aduſtorum vero moleſtia cum nihil admodum conqueſtus ſis , nunc non aliud addam,quam calculum , item cogita[illegible]es melancholicas eorum ſobolem [illegible] Optimum igitur erit ſub exitum autumni eos contemperare , atq; expurgare, ſicut pituitoſos ſub initium veris , ut deinceps monebo. Tertio,ordo ciborum is ſit, ut faciliora primum ſumantur , ut ova ſor-

bilia ante carnes, quia hac ratione facilius cibus descendit, verum lubricantibus, ut prunis, aut alijs fructibus sæpe ac multum subducenda aluo uti minime rectum est.

Relaxant enim ventriculum, quod cum fit, nulla concoctio proba affici potest. Siquidem tum ventriculum probe coquere cibum assumptum edocemur, cum is corrugatur, atq; in sese contrahitur, totamque massam amplectitur atq; continet, donec coquatur. Tempus autem coctionis quantitate & qualitate ciborum, item caloris naturalis ventriculi variat. Hinc vero incommoda prolixarum commessationem, item ingurgitationum conspicua sunt, & manifestum bibones atque crapulatores perpetuis cruditatibus obnoxios. Sed postea quam cibus è ventriculo egressus fuerit atque coctus, utile erit humanitati tuæ, atq; etiam omnibus, quibus epar calidius, bibere, præsertim bene coctam & defecatã cerevisiam. Ita enim ventriculus, ut testatur Avicenna, abluitur, intestina, quæ humido ab epatis caliditate exhauriuntur, humectantur, alvusque laxa efficitur. Chylus etiam in venas rectius penetrat, siqui-

dem

dem potus nihil aliud eſt, quam nutrimen-ti vehiculum. Vinum, præſertim meracius, propter epatis caliditatem, & capitis infirmitatem ſcit T. H. ſibi non prodeſſe. Quare non plura de his monebo. Illud unum addam, ne cibus ingeratur alius, eo, qui prius eſt ſumptus, nondum cocto. Nam hoc cruditates auget, quemadmodũ uſus fumo maceratorum ſalſorum, & immodice conditorum, humorum aduſtionem. Diureticā etiam cibo miſcere noxium eſt calculoſis, & tibi ſummopere vitandum. Atq; hęc de victus ratione ſatis. De ſingulis enim monere non eſt noſtri inſtituti.

Proximum eſt ut de exercitio dicamus, in cujus opportuno atque convenienti uſu præcipua pars conſervationis ſanitatis, ut Medici omnes monent, conſiſtit. Nam hoc innatum calorem fovet, totiuſque corporis vires inſtaurat, ſupfluitates diſcutit, membra ad ſuſcipiendum alimentum incitat, atque ita vires & valetudinem conſervat. Genus exercitij conveniens quilibet ſibi facile poteſt eligere. Nam alium deambulatio juvat, alium ea, quæ per manuum laborem fiunt. Ac velim T. H. ſingulis die-

bus

bus ante pastum, cibo prius bene concocto, hortulam unam, aut dimidiam manu ducere serram, atque ligna secare, aut simile aliquod opus facere. Id profecto meo judicio plus conferet, quam frequens etiam laudatissimorum medicamentorum usus. Cæterum ea exercitia, in quibus caput valde atque totum corpus concitantur, & incalescunt, minime judicaverim convenire. In exercitijs vitetur immodicus calor, & matutinum frigus, & non obeat illa, nisi prius depositis excrementis, quiescat deinde horam unam priusquam comedat. A cibo tutissima est quies, sed vitandus somnus pomeridianus; quia caput replet, & catarrhosis supra modum nocet. Nec dormiat statim à cœna, verum tribus aut quatuor horis post cœnam sumptam, & utatur quantum fieri potest somno prolixo, causasque vigiliarum, ut curas atque molestias, & reliquas animi perturbationes, quantum potest, deponat. Nocturnum aerem prorsus à se arceat. In cubiculo in quo dormit, coquat aquam rosaceam, ut vapore exhalante contemperetur aer cubiculi. Pedes omni in septimana bis abluat sequen-

equenti decocto, præsertim cum vigiliæ
unt molestæ:

℞ Fol. violar.
Salicis,
Nymphææ ana M.j.
Chamæmel. M.ß.
Capit. papaver. N.iij.

Decoq. ista in sacculo, & ex decocto non
admodum calente abluantur manus atque
pedes, quatuor horis post cænam. Iuvat
etiam, ubi valde acres vapores ascendunt
n caput, inungere nares oleo rosato com-
pleto, aut unguento rosato Mes. Frequen-
tem usum Diacodij, vel confectionis de
papavere, propter ventriculi intemperiem
non propo admodum; muto minus syrupi
de papavere, nisi catarrhus tenuis urge-
at. Nam cum ventriculus sit frigidus &
humidus, & contrarijs ad suam temperiem
reducendus, summopere est frigidorum,
& humidorum frequens usus vitandus.

Ideo autem Diapapaver minus lædere
videtur, quia accipit T. H. in forma solida.
Syrupus de papavere offendit magis sua
humiditate. Cæterum cum tenuis iste ca-
tarrhus nimium molestus est, detineas sub
lingua

lingua noctu hos trochiscos:

℞ Nucis Muscatæ ʒj.
Gummi Arabic. ʒ.ß.
Redigantur in pulverem, & misc.cum aq.rosar.ac f.trochisci parui.

Hi & caput roborant,& plurimum præsertim in catarrho tenui juvant. Post somnũ, priusquam lecto surgat,primum tibias,deinde brachia, & quantum potest corpus fricet. Indutus diu & leviter caput pectine mundet,& partes cervicis, præsertim post aures,abluat hac aqua:

℞ Aq.rorismar. ℥.iiij.
Euphrasiæ ℥.ij.
Rosar.℥.j. Misce.

Hyeme sub carbones ponat lignum aloes, & fumum naribus immittat. Os etiam diligenter mundet,primum linguam,deinde palatum,& dentes; utaturque folio salviæ ad mundandos dentes. Detineat etiam in ore matutinis horis exiguam portiunculam radicis galangæ, & interdum galangam comedat. Cæterum jentacula prorsus fugiat; & si pro abstersione ventriculi &humectanda aluo velit jusculo uti,vel ad contemperandos humores adustos, sumat jus

us gallinaceum, aut è tenui cerevisia in-
rito pane modico cum butyro & saccharo
iat jusculum, cui imponat novem aut de-
em grana piperis integri, & hoc, præser-
im frigido tempore, sorbeat. Balnei non
elim te frequenter uti, præsertim calidio-
ibus, quia humores in capite colliquant,
t fluxiones in toto corpore excitant. Ve-
um hic concedo aliquid consuetudini,
ec de balneis prolixe disputo. In aqua
ulci lavare non esset inconveniens, si mo-
o non læderetur ventriculus. Caput ut
ngulis septimanis semel sibi ablui curet
noneo. In lixivio autem decoquat Ma-
oranam, rosas, & interdum folia senæ, Ro-
orant enim ejusmodi lotiones caput, mo-
erate calefaciunt, & ab excrementis libe-
ant. Atque hæc etsi ad tuendam & con-
rmandam sanitatem satis esse poterant;
amen quia in hac membrorum intempe-
ie excrementa plura colliguntur, quam
t ab ijs natura sua vi liberari posset, inter-
um medicamẽtis adjuvanda est, & mem-
rorum intemperies quantum licet cor-
igenda. Porro inter medicamenta solu-
iva præcipue (id quod sæpe T. H. signifi-
cavi)

cavi) commendo senam, nec cum illis sentio, qui existimant senam perturbare ventriculum, & imbecillum reddere. Nam cum sicca sit, & amaritudinis nonnihil, atque adstrictionis habeat, manifestum est eam ventriculo prodesse. Quod vero (præsertim muliebria & pituitosa corpora (epoto senæ infuso torminibus vexantur, id humorum pituitosorum vitio fit; non medicamenti; & interdum etiam propter viarum angustiam. Præparanda igitur sunt talia corpora, priusquam eis sena exhibeatur. Cæterum cum sit manifestum senam & adustos & pituitosos humores purgare, nullum medicamentum tuo corpori convenientius potest inveniri. Hinc Actuarius, Mesue, Serapio senam cerebrum, cor, lienem, pulmonem, & omnes corporis sensus mundare, eorumque incommodis conferre testantur. Quin hoc quoque addunt, eam viscerum obstructiones expedire, senium retardare, & animi hilaritatem adferre. Sed hoc de sena satis. Propter epatis caliditatem interdum usum Rhabarbari, & præsertim substantia, ut vocant, probaverim. Nam ita valide epar roborat,

rat, & renes expurgat, deniq;, ut Mesues
quit, omni noxa vacat, ut quovis tempo-
, & omni ætati possit exhiberi. Agaricus,
ia, ut Medici docent, est *medicina securi-
is*; atque, ut Democritus dixit, *familiaris*,
m ad omnes corporis partes conformi-
tem habeat, & à longinquo trahat. maxi-
e sub veris initium purgantibus medica-
entis admiscendus est. Cæterum hoc
loque monendum; quibus imbecillus est
ntriculus, atque frigidus & humidus, iis
gis conferre medicamenta in forma so-
a, quam potiones; proinde eas ad purga-
nes annuas concedo quidem. cæterum
subducendum alvum præscribam soli-
medicamenta, ut arbitror, tuta & inno-
. Purgetur autem sub initium Octobris
c modo: primum utatur aliquot diebus
ris matutinis iusculo caponis, in quo de-
quantur radices petroselini; & parce
net. Deinde bibat hoc decoctum alter-
dieb. bis aut ter horis matutinis quatuor
te prandium:

℞ Passular. min. ℥j
Rad buglossæ ℥ß.
Herb. scolopendr.

Ceterach.an.M.ß.
Fl.violar.
Borrag.ana P.j.
Galangæ ℥j.
Decoq.in ℔.j.ß. aquæ hordei ſ.a. ad tertiæ partis conſumpt. colatura fortiter expreſſ.
℞.℔.j.huic add.
Syr.de pomis ℥iij.
Miſce pro tribus potionibus.

Hæc vero potio non tantum aduſtos humores educit ; verumetiam viſcera omnia roborabit , & capiti plurimum proderit. Porro ne quis error in uſu ſyrupi de pomis committatur, ſubijciam deſcriptionem:

℞ Succi pomorum dulc. ℔.j.
Coq.lento igne ad medietatem ; deinde imponatur vaſi vitreo , donec facta fuerit reſidentia, coletur poſtea, & adde:
Succi borrag ex tota planta expreſſi & defecati ℥iij.
Syr. de corticib.citri ℥ij.
Sacchar.q.ſ.f. ſyrupus & ſervetur uſui.

Hic ſyrupus mire juvat Melancholicos, & ab aduſtis humoribus male affectos. Si forte deinceps alvus eſſet adſtricta , cenſerem his pilulis recte eam poſſe moveri , quæ haud

haud dubie solvent absque molestia; & humiditatē ventriculi aliquomodo corrigēt. Non aut nocebunt intestinis, vel epati:

℞ Bdelli alb. mollis & pinguis:
Aloes infus. trib. dieb. in lacte an. ℥ j.
Incorporentur simul, & reformentur pilulæ mediocres. De his pilulis capiat ante cœnam, cum alvus adstricta est, drachmam dimidiam. Quod si non contulerint, me de eo certiorem reddat; & ego aliud medicamenti genus reperiam, ne toties potionibus sit utendum. Aloen scio vobis molestam esse, sed hoc modo præparatam utilem futuram minime dubito. Post purgationes vero utatur hoc electuario hora decubitus ad magnitudinem castaneæ:

℞ Conser. rosar. Damasc. ℥ ß.
Spec. aromat. rosat. ℈ij.
Nucis Muscat. ℈ ß.
Thuris albiss. ℈ij.
Misce, & f. electuarium.

Hujus Electuarij usus non solum ad roborandum caput & ventriculum, atque catarrhū minuendum prodest; verumetiam inprimis memoriæ conservandæ conducit. Ac sunt qui præcipue affirmant, juvari

memoriam usu thuris, si præsertim Luna in Scorpione, sumatur ter in die, h. e. mane, hora vesperarum, & antequam se quis cubitum conferat, tria grana thuris. Sed hic usus mihi superstitiosus videtur. Porro si propter epatis, & renum caliditatem acres humores deferantur ad cerebrum, & somnum turbent, utilem atque gratam hanc potionem futuram arbitor:

℞ Hordei mundi diutiss. cocti ℥ iij.
Amygdal. infus. in aq. rosar. ℥ ij.
Sem. melon.
Papaver. alb. an. ʒ j.
f. horum emulsio in aq. hordi ad ℔. ß.
cui add.
Iulep. rosac. j. Misce.

Bibat hoc hordearum introitu lecti. Tunc enim somnum facit: & stomacho, epati, & renibus prodest. Porro si T. H. molestabit dolor renum atque calculi, uteris, prius expurgato corpore, hoc pulvere ad ℥ ij. aut iij.

℞ Milii Solis ℥. ß.
Pinearum lotar. & mundat. ℥ j.
Sem. portulacæ.
Lactucæ.

Endi-

Endiviæ an. ʒ ij.
Papaveris alb. ʒ iij.
Sacchar. alb. ad pondus omnium. Misce.
Accipiat vel horis matutinis vel vesperi, si modo vel nihil, vel parcissime cœnaverit. Nam omnia, quæ renes purgant, & calculum pellunt, longissime post pastum sumenda sunt. Etsi autem in literis, quibus à me consilium petis: nullam calculi mentionem facis: tamen scio te antea de hoc conquestum, & in ista corporis dispositione plane est metuẽdus. Nisi capitis atq; vẽtriculi rationem haberem, de usu terebinthinæ monerem; sed abstinendum ab ea iudico, nisi evidens urgeat necessitas.
Nunc redeo ad purgationem vernam, quæ sub finem Ianuarii, aut initium Februarii utilis atq; necessaria est. Licet vero aliquot formulas medicamẽtorum antea præscripserim: tamen hanc nunc quoq; probo:
℞ Passul. minor. ℥ j.
Sem. anisi,
Rad. filipendulæ an. ʒ ij.
Galangæ ℈ j.
Flor. borrag.
Violar. ana P. j.

Zingiber ℈ j.
Agarici trochiſ. ʒ ij.
Decoq. in ℔. j. aq. puræ ad tertiæ partis cõſumpt. In decocto infund. per noctem:
Fol. ſenæ Alexand. ℥ j.
Colaturæ fortiter expreſſæ. ℞ ℥ viij.
Cui add. ſyrup. de betonica ℥ j.
De corticibus citri ℥ ß. Miſce.

Hac potione duobus diebus uti poterit horis quatuor ante prandium. Deinde ſumat hora matutina hoc electuarium, quo roborabuntur omnia membra.

♃ Conſer. roſar. ʒ ij.
Mithridat. el. atque noſt. ℈ ij.
Miſc. detur in aurora.

De purgatione menſe Maio, & ſanguinis miſſione, exponam T. H. meam ſententiã. Non enim ſatis ſcio an conſueveris mittere ſanguinem, & docebo te de ſyrupo violaceo ſolutio, quem ſcio tibi plurimum præſertim æſtivo tempore profuturum. Eſt etiam utilis ad ſolvendam alvũ æſtivo tẽpore.

♃ Conſer. roſar.
Cichor. an. ʒ ij.
Rhabarb. el. & pulv. ʒ j. Miſc. f. bolus, quo utatur duabus horis ante prandiũ.

Ad

Ad expurgandum caput vero., prius corpore purgato, utiliter per nares hunc humorem, vel succum trahes:

℞ Pulv. nigellę quatuor diebus in aceto rosac. infus. atq; pulv. ℥ j.

Aq. maioran. cũ suc. herb. expr. ℥. iij. misc. Hoc non tantum caput purgabis; verumetiam roborabis. sed, ut monui, non est adhibendum, nisi corpore purgato. Habet etiam H. T. unguentum, epatis caliditatem corrigens atq; roborans, quo cum sis feliciter sæpe usus, illud non mitto, & porro te recte uti posse existimo. Fluor sanguinis exiguus è naribus, de quo postremo scripsisti, nihil admodum me movere potest, cum acriores vapores ascendant & caput petant, non mirum si venæ aperiantur, & arbitror eius aliquas fuisse causas. Quare de valetudinis tuæ curatione nunc non scribam plura Deum vitę & omnis salutis fontem & autorem precor, ut te benigne conservet, & medicationes meas gubernet, Amen.

Respondetur in sequenti epistola ad quædam dubia præcedentis consilii.

Dubia vestra nõ modo nihil mihi ad dubitationis adferũt; verũ etia meã sñiam cõ-

firmant. Nam ego de temperatura ventriculi & epatis, vt nunc, id est, de præsenti loquor, nec omnes causas procatarcticas, quibus fortasse mutata est, & longe alia facta, ac prima constitutione fuit, inquirere possum. Ab vsu Hellebori valde læsum esse ventriculum non dubito, & præsertim facultatem attractricem, quæ talibus vehementibus medicamentis, & fortiter humores comoventibus ac trahentibus præcipue læditur. Inde fit ut cum ventriculum nutrimentum trahere naturaliter conveniebat, imbutus mala qualitate medicamenti, vitiosos humores atque viribus medicamenti convenientes ad sese allicit, & prompte his repletur. Quare nisi deinceps per intervalla rursus expurgetur multorum morborum hæc vitiosa ventriculi attractio causa est. Atque hinc est quod scripsi ventriculum frigidiorem esse & humidiorem. Frigidiorem, quia naturalis calor ventriculi est debilior. Humidiorem, quia propter istam debilitatem cruditates generantur, & ventriculus non tam prompte cibum, quam vitiosos humores ad se trahit. Nunc ad primum tuum

tuum dubium respondeo: *An non calor epatis subveniat frigiditati ventriculi?* Respondeo; etsi epar est calidum; tamē illius calore non iuvari calorem ventriculi, cum non sit temperatus. Omnis enim actio naturalis, vel coctio, fit à calore proprio, membroque insito. Atqui hic insitus calor iuvatur quidem ab alteris membri calore, si is sit temperatus, sin minus offenditur. Ita in tuo corpore cum levibus de causis calor epatis fiat immoderatus, duplici modo vētriculo obest; primo quia calorem ejus naturalem sua immoderatione debilitat atq; dissipat: secundo, quia omentum, quod præcipue iuvat & conservat calorem ventriculi, & in eo, quod plurimum prodest, absumit, & ipsum fundum ventriculi, cum est immodicus, extenuat, ita ut propterea corpora contabescant. Ad secundum dubium: *Cur præcipiam usum piperis integri, item galange, cum sciam statim vos offendi usu vini meracioris.* Respondeo; cum Galenus affirmet à confectione Diatrion pipereon non offendi epar, quod piperis calor non transeat primas venas, & tuto in frigiditate ventriculi exhiberi posse sentiat, rectius

 nos

nos præscripsimus usum piperis integri, item galangæ masticatæ. Nam in utroque aromate est calor in partibus tenuibus, qui facile à calori naturali evocatur, eumque excitat atque iuvat, ut non modo pituitam eam, quæ in ventriculo est, alteret, mutando partim in nutrimentum partim extenuando; verum etiam expellat. Hoc autem vinum meracius nullo modo præstat. Nam non solum prompte ad epar fertur; verum ab ipso trahitur, & secum crudos humores deducit. Vnde obstructiones fiunt, augetur calor prænaturalis, diminuitur naturalis; hinc flatus, tensiones, & torsiones. A pipere autem integro, à galanga masticata nihil est eiusmodi metuendum. Nam piper cum calorem suum amisit in ventriculo, postea descensum etiam in intestinis secum adiuvat. Galanga spiritus refocillat, & cordi fonti caloris vitalis amicissima est. Inde omnes operationes actionesq; iuvantur. Existimarem autem Medicum usum vini autem meracioris, quale est *Vipachum*, aut *Pucinum*, quod vulgo *Reinfal* vocant. Si modo cibo misceatur, sanitati etiam non omnino adversum futurum, cum quidam

Liviæ

Liviæ Augustæ (ut refert Plinius) octuaginta duos annos vitæ Pucino vino acceptos retulerit, nec alio sit usa. Verum hoc & multo magis Cretica, Vngarica, aut Austriaca vina sine cibo sumpta, vel etiam cum cibo immodice, gravissima valetudinis pericula tibi allatura essent. Sed Pucinum vinum ad nos raro adfertur genuinum, ideo nec clarum fit, & graviter tentat caput. Ad tertium dubium: *An non rectius calor ventriculi possit iuvari per medicamenta forinsecus adhibita, ita ut non lædatur epar, & an hæc non sint tutoria?* Respondeo, piperis usum esse tutiorem, imo tutissimum, contra calida minus possunt applicari fundo ventriculi, ne simul lædatur epar, id quod patet ex anatomia, & situ membrorum. Sed ego inunctiones non prorsus reiicio, imo me vobis quasdam formulas præscripsisse puto. Non autem tutum est, nisi evidens urgeat necessitas, ad istas assuefacere membra, atque hoc modo ea vexare. Ad quartum dubium: Arbitraris propterea alvum esse adstrictam, quia bilis non fertur ad intestina; sed cum urina excernatur. Respondeo, etsi verum est bilis officio

officio exturbari feces ex intestinis; tamen & hoc verisimile est, quibuscunq; epar est calidum, iis alvum esse ficciorē & astrictiorem proptereaq; extrahitur è chylo omne humidū & ita excrementa siccantur, difficiliusq; deiiciuntur. Nam etsi feratur bilis ad intestina; tamen si fæces sunt duriores, stimulus qui inest bili ad expulsionem satis nō est; verum humiditas aliqua requiritur. ideo cum T. H. utitur largiore potu, alvus est fluida. Quintum dubium: Hic tamen mihi obiicis: Cur igitur usum humidiorum vetas? Respondeo, Non eo inficias aliquomodo quoq; concoqui cibum iam alterarum, & aliqua ex parte coctum, ac in chylum transmutatum in intestinis; veruntamen si intempestive feratur è ventriculo, nec in eo probe concoquatur, consequitur illud, quod Medici dicunt; errata primæ coctionis non emendari in sequentibus. Vt a. cibus in ventriculo probe concoquatur, nec ante tempus descendat, requiritur hoc, ut (quemadmodum vulgo loquuntur) ventriculus sese claudat, hoc est, corrugetur ac contrahatur in seipsum, & assumptum cibum amplectatur, atq; ita

unito

unito calore foveat alimentum, & concoquat. Humidorem autem usus relaxat vẽtriculum; hancq; corrugationem, & hunc complexum impedit. Ergo hoc sequitur, ut & alimentum imperfecte coquatur, & ante tempus in intestina delabatur. Vnde quidem ista humectantur, & alvus fit humida & fluida; verum reliquum corpus minus boni succi accipere potest. Assa verò elixis ideo præfero, quia plus humidi proprii in se continent, elixa verò plus alieni. Deinde quia potus rectius admiscetur assis, qui est nutrimenti vehiculum, atque propterea iis, qui largiore potu uti consuevertunt, minus nocumento est. Neq; tamen assis solis, aut semper utendum censeo. Sextum dubium: Quæris à me, *cum ego vobis consulam, ut potius cocto cibo in ventriculo humectandi intestinorum causa, & epatis iuvandi bibatis; quod sit tempus coctionis, quæ indicia,* Respondeo; Medicos quosdam illud quidem certis horis describere, at in re dubia atq; incerta minime inter se de his convenire. Nam Averrhoes sedecim horas requirit, Gentilis decem, & alii de his aliter sentiunt; verum maxima Medicorum pars cum

cum Auicenna quatuor horas satis esse putat. Sed ista melius possunt cõsideratis causis iudicari. Vna est communis causa coctionis, videlicet, ipsa facultas naturalis, quæ est debilis debilitato calore, ideo tarde coquit, fortis calore aucto. Hinc cõiungẽdæ causæ effectrices moderantes & alterantes calorem. Nam si alimenta sint bonæ qualitatis, adhibeãtur in debita quãtitate, quæ non grauet ventriculum; item sit vsus tẽpestiuus, ita vt vel potus, vel cibus nouus nõ ingeratur, nisi priore cõfecto, teneatur bonus ordo, ita vt solida posterius edantur, haud dubie duabus aut trib. horis mediocris coctio in ventriculo vestro fieri potest, vel etiã citius; verum si cibi nec boni succi, nec in debita quãtitate sumantur, nec modus & ordo seruetur, necesse est sequi signa concoctionis malæ, videlicet, grauitatem, tensionẽ, rugitum, multum sputum itẽ ructũ nidorosum & acidum. Nidorosum quidem à calidioribus & biliosioribus; acidum à frigidioribus & pituitosis corruptis; tensionem à flatibus. Cum aũt cibus bonus in quantitate mediocri tempore opportuno, ordine recto est assumptus, cum mediocri potu

potu, estq; eius sine molestia tolerantia in ventriculo, sapor in ore incõsuetus nullus, nec tensio, aut grauitas vlla, appetitio autẽ potus modica, conceditur præsertim illis, quib. epar est calidius, & plus humidi ad se trahit, ventremq; inferiorẽ sicciorẽ reddit, duab. horis post sumptum cibũ, præsertim ante sõnum leuiter & paulatim aliquid superbibere, ꝓpter eas causas, quas in cõsilio nostro posui. Verum post prandiũ neq; potione, neque exercitio intẽpestiuo coctio est turbanda. Quia si nulla sit post cœnam sitis, si potus etiam proportione debita ad cibum ingestum in cœna sumptus, nihil q̃ aliquid bibere consultius est multoq; conuenientius illis tantum post cœnã vti, quæ & coctionẽ iuuant, & euaporationẽ prohibẽt, & vẽtriculo robur addunt. Septimum dubium. Est itaque iam facilis responsio ad septimum dubium, cum quæris *quo pacto conserua rosarum, succus citoniorum cum sint frigida, non obsint ventriculo*? Respondeo; Nõ esse simpliciter frigida, & iuuari istum cõplexum cibi in ventriculo ab istis, non frigiditate; sed vi temperata adstrictoria, qua sunt prædita. Itaque non tantum impedire ascen-

aſcenſum vaporum, qui remoratur corrugationem ventriculi, & caput vaporibus replet; verum incitare quaſi ventriculum, ut in ſeſe contrahatur, & totum cibum amplectatur, ita ut nulla eius parte vacua, nulla hiante, unico calore perficiatur coctio. Hac autem perfecta aperto pyloro, id eſt, infimo ventriculi orificio, cibum quaſi depreſſum facilius deſcendere; nec longiorem moram, quam par eſt, in ventriculo trahere, neque humidiorem chylum, qui in inteſtinis quoque coqui nequit, (ut crapulatoribus, & bibonibus accidit) in ventriculum regurgitare, & matutinum vomitum conciliare. Porro ad exiccandum ventriculum, quo promptius claudatur, & in ſe contrahatur, & minus vaporum ad cerebrum tranſmittat, utimur maſtiche, & thure, ut T. H. à me eſt edocta. Ad octavum dubium, de modo exercitii, & termino dubitas propter ſudorem. Veriſſimum eſt, quod Hippocrates inquit; *Immoderatum omne naturæ inimicum.* Exiſtimāt autem Medici ſudorem, & laſſitudinem terminum eſſe exercitii, nec ad laſſitudinem perveniendum. Hæc quidem opinio non eſt per

perpetuo vera. Nam corpora rariora facilime sudant absq; ulla lassitudine. Compactiora & densiora nunquam. Quare sudor non potest esse exercitii terminus, sicut etiam non semper mutatio anhelitus ; sed temperata defatigatio, quæ scilicet ad eum modum deveniat, ut nec defectus utilitati detrahat, nec excessus vires imminuat, & spiritus resolvat. De lignorũ sectione graviori, nihil præcepi in meo consilio, imo cùm de frictione mututina dixi, ostendi immoderata exercitia vobis fugienda. Ad nonum dubium, de usu myrobalanorum, & missione sanguinis, hæc respondeo, virtus valida efficit operationes perfectas. Ea aut consistit in membri firmitate, & spirituũ bonitate. Myrobalani chebuli substantiam cerebri iuvant, spiritus recreãt, & expurgant, ideoque medici horis matutinis myrobalanos saccharo conditos assumendos censent, & nucleum diu in ore tenendum. Porro chebuli pituitam à ventriculo & capite educunt, sensuum organa emundant, & conservant, ut auctor est Mesues. Excellunt in chebulis, qui colore nigro purpurante, & cortice crasso præditi sunt.

Arabes multa præclara iuvamenta illis attribuunt: verum quidam non immerito hoc noxæ adscribunt, quod obstructiones & viscerum infractus augent. Hæc de myrobalanis. De sectione venæ, nesciebam te singulis annis bis mittere sanguinem.

Scio hac in re multum tribuendum consuetudinis sed ingravescentæ ætate profecto minime tutum erit toties per phlebotomiam sanguinem detrahere. Nec necesse erit, præsertim cum non sit magna plenitudo in corpore, & moderatus victus, atque exercitia possint huic subvenire. Cacochymia autem, & humorum vitia annua medicatione tollentur. Nunc reformido missionem sanguinis, nec veto cum morbi ratio hoc exigit: sed præservationis causa toties mittere, nisi in corpore plane phlethorico minime suadere velim, ideoq; ut singulis annis deinceps semel tantum mittas, nisi evidens urgeat necessitas moneo. Ad decimum dubium: Quæris de syrupo ex succo endiviæ, atque descriptione Diapapaveris. Syrupi de endivia nulla est peculiaris formula; sed conficitur modo aliorum syruporum, qui ex succis fiunt,

& ex-

& ex ſtat ratio eius conficiendi in Diſpenſatorio Cordi. Diapapauer verò tale exiſtimo vobis utile fore:

℞ Capit. papauer. N. x.
Paſſular. enucleat. ℥ j.
Liquirit. inciſ. ℥. ß.

Decoq. in lib. ij ß. aq. puræ ad medietatis conſumpt. & exprimatur fortiter, & ponatur in loco frigido tamdiu donec poſſit reſidere; deinde coletur cum diligentia, & colaturæ adde ſacchar. puriſſimi ℥ viij. f. confectio in rotulis. Habes reſponſiones meas, ut arbitror, perſpicuas ad tuas dubitationes; in quibus ſi quid tuam humanitatem deſiderare cognovero, non deerit tibi meum officium. Vale.

CONSILIVM SECVNDVM
In Catarrho pro alio quodam viro Nobili:

Catarrhus ita illi moleſtus fuit, ut inter cibum ſumendum, item noctu aliquoties ob compreſſionem ſpiritus cogeretur ſugere, & deambulando materiam diſcutere, quod ni faceret; in maximam difficultatem anhelitus,

& quasi suffocationem incidere videbatur:

Diversionem catarrhi in constantissimo viro natura nos docet, cum minus male habeat, cum podagrica mala assint. Quomodo autẽ divertendũ sit ambigo, præsertim cum interdum brachia post somnum quasi destitui conqueratur. Etsi verò cauteriorum usu ad curationem nihil videtur melius, quæ non solum in crure; sed etiam in brachiis adhibenda censerem; tamen ob hyemen interea fortissimo lixivio, & panno asperiore cubitum confricarem, atque hoc modo exulcerarem istas partes, quæ no consolidentur; sed plurimum materiæ efflueret operam darem. Non absque dolore fit; sed ob utilitatem æquo animo ferat. Quum verò ob fluxionem ad pectus, sit aucta intemperies in ipso, neque decoctum guaiaci, à præsenti Medico exhibitum, frigiditatem illam, & humiditatem præter naturam tollere potuerit, duobus remediis pręcipue utendum censerem. Primum est:

℞ Succi veronicæ,
Vel: Syrupi de betonic. ℥ iiij.

Extract.

Extract.calam.aromat.℥ j. Misce. Sumat mane cochlearia duo usque ad dies decem. Hoc medicamentum si prodesset parum, aliis decem diebus decoctum cardui benedicti cum syrupo de succo cardui sumeret, & cum mane calide bibisset, lecto se per duas horas contineat. Hæc duo remedia servata optima victus ratione si non prodessent integre, expurgato corpore ad cauterium devenirem, quod etiam fieri debet ante illa duo remedia. Ad purgandum nihil melius esset oxymelle cum agarico. Oxymel compositum Gesneri quoq; conduceret. Sed omitterem belleborum album, & agarici pondus augerem. Valde asthmaticis comperi prodesse, eoq; omnino cum manna & syrupo rosato solutivo utendum censeo. De Thermis est quæsitum. Cum autem ad calorem naturalem refocillandum, ad divertendam quoque materiam catharri trahendo illam foras, & absumendum nihil illis videatur convenientius, sane ego quoque hoc auxilium minime negligendum arbitror. Vellem aũt eiusmodi esse, quæ calefaciant & siccent, cutim exulcerent, & potari etiam possint.

CONSILIUM TERTIUM.

In Vertigine pro Nobili quodam viro:

Simpliciter admonitus ſum Nobiliſſimum virum laborare vertigine. Fit autem ea, vel per ſe affecto cerebro, ita ut agitatis in eo vaporibus obvia oculis agitari videatur; vel per conſenſum, videlicet vaporibus in cerebrum aſcendentibus à partibus ſubiectis capiti, maxime vero ventriculo. Cum per ſe accidit, Medici eſt caput curare. Cum per conſenſum ad eam partem curationem convertere, à qua conſenſus oritur. Curationem etiam aliam requirit ſimplex vertigo, aliam tenebroſa, ut appellant, quæ Græcis σκοτόδινος dicitur, & prænuncia apoplexiæ exiſtimatur; ea vero caliginem quandam ſpiritus & vaporibus affert in cerebro, & aciem oculorum hebetat. Quantum ergo exiſtimare poſſum, vertiginoſa illa diſpoſitio in Nobili domino eſt per conſenſum à ventriculo. Itaque is præcipue curandus. Non neglecto tamen capite atq; cerebro. Quare habita recta victus ratione, quæ ſimpliciſſima eſſe debet, evacuandus erit ventriculus, hoc modo:

℞ Maſſæ

℞ Massæ pipul. mastic. ℈ iiij.
Agaric. troch. recent. ʒ ß.
Cum syrupo de Zingibere q. s. f. pilulæ, N. XXVII.

Accipiat novem, hora una ante cibum. Evacuato corpore utatur isto Electuario:

℞ Macis ʒ ß. maceretur in aceto per noctem, & incidatur tenuissime, ac commisceatur conserv. euphrasiæ ʒ j. ß.

De quo mane sumat ad magnitudinem castaneæ. Masticet sæpe semen carui, eoq; frequenter utatur in cibo, vino, aut quod bibit, imponat folia cardui benedicti. Hæc ipse æger monere & dictare potui. Vbi certiora de valetudine Nobilissimi domini cognovero, modo valeam & vivam, quid vis potius, quam summum gratificandi studiũ in me desiderari patiar.

CONSILIUM QUARTUM.

De Epilepsia nocturna pro quodam Nobili Iuvene.

Quidam annos natus circiter XXVI. habitu corporis humidiori, inactivis, ut videtur, ad frigidum tendente; iam ab annis sex vel octo, affectione quadam tentatur, quæ cum certis intervallis hunc in

modum invadit: In ipsa accessione, quę noctu tantum ferme semper circa auroram fit, sentit ventriculos cerebri ita constringi atq; coarctari, ut inde etiam anxietas quædam animi oboriatur. Motus corporis sunt inordinatiores cum iactatione aliqua, non tamen adeo vehementi, in qua quidem si paroxysmus auctus sit, spumæ etiam nonnihil sanguineæ, cum dentium stridore ex ore emanat. Post invasionem, quæ circiter semihorulā plus minus durat, vertigo quædam, & sensuum interiorum perturbatio, & vestigiū huius impressionis impressum, cum capitis dolore tensivo, & ex parte velut gravativo consequitur: maculæ rubræ punctatim dispersæ in oculorum regione apparent, in ipsis præcipue palpebris & angulis oculorum: quæ tamen secunda aut tertia die post, rursum sensim evanescunt. Solet etiam plerunque accidere, ut ipse paroxysmus in alvi fluorem sic satis copiosum desinat. Ante invasionem ferme nullum aliud signum præcedere sensit, quam ubi in somnum sese compositurus est, capitis quandam gravitatem. Intervalla non sunt æqualia, ut plurimum tamen intercedit

mensis

mensis integer, aut mensis cum dimidio. Nonnunquam spacium augetur, aut minuitur, pro causarum tum internarum, tum externarum diversitate; ita ut observaverit toto hoc anno proxime elapso octies paroxysmum rediisse, postremo tamen mense, ipso nimirum Decembri, (quod nunquã ante hac factum fuit) bis. Iuvamentum aliquod percipere visus est, ex sacrificatarum cucurbitularum usu, quas aliquoties applicavit, tum scapulis, tũ etiam brachiis, aut cruribus utrobique binas. Etsi alioqui hæmorrhoidum fluxum in mediocri copia statis temporibus, videlicet, circa novilunium, & plenilunium pati cõsueverit ipsaque alvus officio suo non desit. Atque hæc sunt illa symptomata, quæ me hactenus nõ parum infestarunt, à V. E. officiose & reverenter peto, ut suo consilio & auxilio mihi subvenire non dedignetur. Promitto vicissim debitam observantiam atq; gratitudinem in omnibus iis, quæ à me præstari, aut expectari possunt.

In Epilepsia semper affici cerebrum, sive per se, sive per consensum illud laboret, constat: ac ἐνεμπλωτίας causam in dispositio-

ne cerebri ſingulari eſſe quærendam, non dubitamus. Ea in hoc ægro, in quo omnes actiones cerebri vigent, non alia eſſe videtur, quam nimia illius ſenſibilitas, propter quam, non tam per ſe, quam per conſenſum læditur. Etſi verò ad illam partem præcipuè, à qua conſenſus provenit, curatio referenda ſit; tamen ad cerebri affectionem ſemper quoque eſt reſpiciendum. Affectus verò eiuſmodi eſt, ut repleri meatus cerebri velociſſime & rurſus removeri, atque excuti id quod obſtruit, videatur. Itaque vaporem eſſe, qui vel obſtruat, vel mordicet, atque hoc modo vim expultricem, cùm cerebrum, ut dixi, maxime ſenſibile ſit, irritet, indicio quoque illud eſt, quod ante acceſſionem quaſi vertigo percipitur. Eum verò vaporem à tota maſſa ſanguinea oriri, atque illum graviter commoveri, maculæ iſtæ rubræ in collo, & maiori oculorum cantho poſt paroxyſmum oſtendunt. Sed unde illa parva qualitas in ſanguine? ἀπρόσιτον quiddam eſſe videtur. Proinde tam cerebri ratione, quam huius cauſæ, præcipue mihi medicamenta, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate auxilian-

xiliantur, adhibenda videntur; non neglectis tamen iis, quæ sanguinem mundant, & ne nimium incalescat, faciunt. Incidentia & attenuantia medicamenta, quibus Medicus quidam omnia tribuit, suum locum obtinent. Porro totam curationis rationem in præservatione consistere, eamq; & victus ratione, & medicamentorum usu perpetuo observandam esse asserimus. Victus rationem tibi præscribere non debeo; sed ut parcissime potes; & à vino, præsertim vesperi, abstineas, ac omnem crapulam fugias, moneo. In cubatione, ne in dorso iaceas, cavendum. cruditates fugiendæ. Nam eæ cerebro inimicæ sunt, & ventriculum, qui haud dubie, etiamsi non doleat, non parum in hoc morbo consentit, affligunt. A cœna non statim dormiendum, multo minus studiis invigilandum. Vera enim est Celsi sententia: *Quibus caput affligitur, iis ne cogitationem quidem à cœna tutam esse.* Nescio an in paroxysmis, ut multis accidit, semen eiiciatur; quod si fuerit, de matrimonio cogitabis. Frictiones non negligas, & cum materiam moveri sentis, ut ad eas confugias, moneo

San-

Sanguinis missionem non omittendam puto. Mittendum autem ex præscripto veterum è venis crurum iudico. Secta vena, corpus per syrupum nostrum è succo pomorum cum sena purgandum. Cum enim comitiales in melancholiam sint proclives; sicut Melancholici in comitialem morbũ, ut Hippocrates nos monuit, inprimis iste syrupus proderit, si cum eo syrupum de cichorio cum rhabarbaro æstivo tempore misceres, non errares. Nam hunc quidem syrupum pro Epilepticis à Nicolao factum esse scimus. Sæpe autem usum istorum repetere oportet; cum ἰσοκάθαρσιν requiri in diuturnis affectionibus constet. Si iis decoctum corticum guaiaci, & ligni visci quercini, & florum violarum admiscueris, rectissimum erit. Post evacuatum corpus, verno, æstivo, & autumnali tempore decocto radicum cichorii uti rectissimum; hyeme Mithridatica antidotus cum syrupo de succo cardui, vel syrupus cardui conveniens erit. Distillatum autem & cardui, & millefolii cum syrupo violarum toto anno probo. Decoquere etiam in iis lignum guaiacum cum ligno visci quercini,

&

& per dies viginti aut quadraginta bibere vere & autumno utilissimum. Medicamẽtum de cinnabere non pręscribo; cum Fernelius in libello suo de lue Venerea, tam dira symptomata usum cinnabaris consecuta referat. Mihi, ne quid dissimulem, non persuadet, cum bono successu me eo usum esse Viennæ vere affirmare possim. Stercus pavonis ex distillato cardui, vel millefolij magis probo. Epar ranarum & per dicum comestum plurimi commendant. Inungunt umbilicum pinguedine cati silvestris. Caput expurgant pulvere lapidis, qui in vesica fellis tauri reperitur per nares attracti, vel per se, vel succo rutæ. Cervicem inungunt oleo iuniperi è ligno destillati. Talia remedia plurima in lectione Practicorum occurrent. Ego, ut dixi, nihil carduo & millefolio efficacius reperiri. Illa quæ appenduntur, ut minime contemno; ita spem in ea, quę incidunt, attenuant, plane non colloco. Vti & his, & illis rectissimum est, & totam curationis spem in divina benignitate ponere.

Interlocutoria;

In casu proposito ad duo præcipue respicien-

ſpiciendum; nempe, ad id quod recipit, & alterum quod recipitur, ſeu aliunde tranſmittitur. Pars recipiens eſt haud dubie cerebrum, quod per cõſenſum laborat. Huic igitur, quoniam εὐαίσθητον eſt, roborãtia debentur, ne ſcilicet tam facile afficiatur, aut noxam prompte repellat; ſive imbecillitas illa ſit ab intemperie; ſive, quod potius reor, à vitio cõformationis; hoc eſt, à quadam textura membranarum nimis rara, minusque compacta, & denſa. Valde autem peto, ut formulam aliquam huic ſcopo convenientem præſcribere digneris. Id quod recipitur, ſeu in caput tranſmittitur, vaporem eſſe plane ſtatuo, cum breviſſimo tempore diſcutiatur. Prodit hic vapor potiſſimum quidem à maſſa ſanguinea (hoc maculæ rubræ relictæ aperte teſtantur;) ſed tamen etiam aliquatenus à ventriculo: ſanguis, in quantum multitudine ſeu quantitate peccat, evacuationem poſtulat per venæ ſectionem & cucurbitulas, itemque (quæ in ægro iſto naturaliter fluunt (per hæmorrhoides, quibus omnibus motus quoque inordinatus, ſive in partem principem impetus inhiberi & averti poteſt,

pòteſt. Quod ſi etiam qualitate aliqua maligna (ut videtur) præditus eſt, ea corrigenda venit per illa, quæ maſſam ſanguineam contemperant, & à vitioſis humoribus admiſtis per intervalla certa, menſtrua fortaſſe, repurgant. Hanc ſane ad rem cardui, millefolii & cichorii tum decoctum, tum deſtillatum idoneum iudico. Item ſyrupum cichorii cum rhabarbaro, & ſyrupum de pomis cum ſena; nonnunquam etiam Mithridatii aut theriacæ uſum, præſertim hyeme. Ventriculi ratione, quandoquidem hic per ſe non eſt debiliſſimus, ſatis fuerit opinor præter victus rationem accuratam uſurpare, quæ vapores inde in caput ferri, ſomni tempore inprimis, prohibent. In quem finem frictiones quoque cervicis, ſcapularum, & extremorum idoneo tempore adhibitis, pręclare facere experior. Decoctum ligni magis videtur attenuere ſanguinem, & ad motum aptiorem facere, unde vix notabiliter prodeſſe iudico.

Reſponſio;

Raritatem partis ad εὐαισθησίαν facere nullum dubium eſt. Conſequitur igitur, ut aliquid, quod denſet, ex Medicorum doctri-

doctrina adhibeamus. Nihil autem melius lotionibus capitis iudico;ita tamen, ut postea quam ex calida laueris, ad extremum frigida utaris. Nam ita maxime roborari cerebrum, & ratio & experientia docet. In lixivio decoquantur; abrotanum, ruta, melissa, & rosæ Saponi santali citrini, & parum olei caryophyllorum admisceri possunt. Hæc igitur quo ad membrum suscipiens. Mandans puto universam esse massam sanguineam, à qua vapores ascendunt. In ea qualis sit corruptio, aut qua qualitate vapor, qui eleuatur, & ventriculis cerebri molestus est præditus sit, difficile est dicere. Esse humidum subito replentem, & prægravantem, turbantem spiritus in cerebro, & motui inservientibus spiritibus quasi aditum obstruentem, constat. Victus ratio & curatio utcunque monstrant indicationem. Ex Hippocratis 2. Aphoris. 45. universa victus ratio patet. Ex eo verò aphorismo, quo quartanam huic malo mederi docet, curatio indicatur. Vt vero quartana totum corpus à vitiosis humoribus crassis liberat & expurgat, & puriora siccioraque corpora facit, idem medicamentum, quod huic:

huic malo mederi debet , præstare oportet, Meo autem judicio hoc profuturum spero:

℞ Succi millefolij.
Rutæ,
Melissæ,
Maioranæ,
Hyssopi ad spissitudinem cum sacchard coctorum an. ℥j. ß.
Rad. Etyngij minutim incisar.
Ligni visci quercini, an. ℥j.
Rad. Pyrethri.
Pul. tormentillæ an. ℥ß.
Cornu cervi præp. ʒvj.
Mithridat. antiq.
Theriac. Andr. opt. an. ℥j.
Conser. è floribus rorismar. ℥j. ß.

Misce lento igne: De hoc singulis diebus mane accipiat drachmam unam ; & ante somnum post moderatam ; & paucam potius cœnam drachmam dimidiam. Purgarem autem cerebrum tali apophlegmatismo.

℞ Radic. pyrethri ℥j. ß.
Zingiberis ℥ß.
Rorismarini,

Salviæ,
Hyssopi,
Rutæ ana P. j.

Decoq.in aquæ puræ suff. quantit. & colaturę℔.ij.add.aceti accerrimi rosarum unc. ij.Misce. Prius autem quam eo os colluat, inungatur palatum hoc eclegmate:

℞ Sem.erucæ ℥ ij.
Staphysagr.
Cubebar.a. ℈ij.
Rad. pyrethri,
Zingiberis an.℈iiij.
Mastich. ℈j.
Piperis ℈ß.
Cum oxymell. q.s.f. mixtura.

Nihil verò esset convenientius, quam se taceum ceruici applicare;vel certe si fortissimo lixivio è calce&cinerib. facto exulceretur. Etiam occipitio recte applicantur cucurbitulæ. Trallianus ex usu pilularum curationem pollicetur hę constant ex aleo, gummi Arabico, colocynthide, bdellio, adæquas partes cum melle scillitico mistis. Sacrificatio pedum, & detractio sanguinis ex malleo omitti possunt.

Oro Deum, ut ipse in tam ancipiti morbo medio-

medicinam faciat,&his benedicat;ita enim benefaciunt.

CONSILIUM QUINTUM.
De præservatione ab Apoplexia:

Præcautio morbi eſt cauſarum illius, vel declinatio, vel prius quam lædant remotio.itaque cum de evitatione apoplexiæ agatur,quid ſit,& quas cauſas habeat,ordine videndum. Galenus eam affectationem definit; in qua totum corpus ſimul reſolvitur, & principes facultates cohibentur, corpuſque ſenſu & motu deſtituitur, ſola reſpiratione aliquomodo remanente; quæ dum & ipſa opprimitur,homo ſubito quaſi ſtrangulatione extinguitur. Etſi autem hujus affectionis una cauſa videtur, ac revera eſt, obſtructio videlicet in nervorum principio, ita ut ſpiritui animali, qui in cerebro elaboratur,& ſenſum atque motum univerſo corpori præbet, exitus non pateat, vel in carotidibus arteriis, ut vitalis ſpiritus, qui animalem fovet, aditu prohibeatur,atq; in cerebrum permeare,& fomentum animali præbere nequeat,huic inquam obſtructioni, ſeu cauſæ conjun-

ctæ morbi, etsi contravenire difficile sit; tamen causis antecedentibus obviam ire & eas quasi antevertere licet. In earum vero causarum investigatione, primo occurrit intemperies cerebri, propter quam, vel spiritus animales debito modo non conficiuntur, vel materia; quæ in principium nervorum, atque carotides subito delabitur, in cerebro sensum colligitur. De hujus intemperiei causis variæ sunt Medicorum disputationes. Nam multi in ea sunt sententia; cerebri substantiam non affici; sed tantum ventriculos, videlicet, medium & postremum, ita ut in illis; quemadmodum dixi, fiat obstructio, quam symptoma, quod *apoplexia* dicitur, comitetur. Hoc si ita est, nequaquam; iste morbus malum hæreditarium putandum. Nam si cerebri substantia plane est incolumis, apoplecticus, vel epilepticus non poterit apoplexiæ; vel epilepsiæ obnoxium generare, cum à sana parte non nisi sanum semen decidatur, & ut morbus hæreditarius sit, atq; communicetur, hoc requiratur, ut is vel actu, vel potentia in membro sit. Actu apoplecticus nullus generat. Potentiam autem ac potius inclina-

clinationem ad hunc morbum difficile est demonstrare. Non enim podagrici generant podagricos, nisi podagra sint tentati, &partes debilitatæ,neque contagiosi morbi,ut Lepra,morbus gallicus, transferuntur in natorum corpora, nisi contagium in corpore genitoris adsit. Ad hæc apoplexia fit subito,etiam in illis qui sana mente sunt, & operationes cerebri integras habent.

Est autem illud membrum de sententia Medicorum sanum,cujus operationes sunt sanæ. Quomodo igitur à sano membro decidetur insalubre semen? His atq; alijs rationibus persuasi eruditissimi Medici, censent neque intemperiem hujus morbi causam esse,neque illum hæreditarium perhibendum. Ac si forte propter intemperiem frigidam totius cerebri huic modo aliquis est obnoxius, cum isto modo non subito; sed lente eum corripi necesse sit, hoc consequitur,in ejusmodi affectione præcautionem minime difficilem esse. Vt verò singulis diebus temperamentum paulatim in deterius labitur: ita quotidie opera danda,ut lapsus corrigatur. Cum vero frigidius fieri cerebrum in ista affectione con-

ſtet, itaq; ſingulis diebus aliquid aſſumendum, quod ſpiritus animales, & calorem naturalem refocillet, & temperamentum cerebri conſervet. Nihil ad hoc ambra convenientius. Itaque his orbiculis ſingulis diebus uti conuenientiſſimum;

℞ Sacchar. in aqua roſar. diſſol. ℥. iiij,
Ol. aniſi diſtillat. gutt. iiij.
Ambræ gryſeæ g. iiij.
Miſce, & f. confectio in rotulis.

vel iſtis, cui compoſita magis placeant, aliquis uti poterit:

℞ Specier. Diambræ,
Diamuſci dulc. an ʒj.
Sacchar. albiſſ. in aq. bortag. diſſol. ℥. iiij.
Ol. aniſ. deſtill. gutt. ij
Miſc. & f. codfectio in rotulis.

Nucem etiam muſcatam toſtam, & fruſtulatim inciſam, ſæpe in ore detineat. Nam hæc cerebri intemperiem frigidam corrigit. Caput ſingulis ſeptimanis abluat ante cœnam, & poſtea aeri ſe non exponat. In lixivio decoquatur maiorana, roſmarinus, & roſæ, & adhibeatur ſapo medicatus hoc modo factus:

℞ Saponis Veneti, vel Hiſpan. lib. j.

R.ad.ireos,
Santal.citrini an.℥.j.ß.
Ambræ ℈ß.
Ol.caryophyllor.gutt. iij.

Diſſolvatur ſapo in aqua roſarum, & commiſceantur. Matutinis horis linguam bene mundet, & os abluat aqua roſarum, vel lavendulæ, cui aqua communis admiſceatur. Retro aures etiam ſe iſta aqua mundet. Et victus ratione non evaporante utatur. A lacticiniis igitur, leguminibus, oleribus, fumo maceratis, cepis & allio conditis abſtineat. Vino etiam minime potente utatur. Sed de his cum alias cauſas hujus morbi explicabimus prolixius agemus. In quibus verò temperies cerebri jam mutata eſt, hos torpor quidam membrorum moleſtat, licet à quacunque plenitudine malum etiam oriatur, is non abſit. Multis etiam vertigo gravis eſt. Iis autem magis qui à vaporibus crudis aſcendentibus corripiuntur. Nam præcedentia, etiamſi diverſę ſint cauſæ, conguunt, ut ex ſequentibus patebit. Altera cauſa, eaq; frequentiſſima eſt; pituitoſi humoris copia cerebrum confertim irrigante, & ſpiritũ, ut diximus, intercipiente.

Hæc causa plane cum priore convenit, atq; propterea senes, & multa cruditate laborantes facilius corripiuntur. Nam in senio cerebrum multis jam actionibus debilitatum, pauciores spiritus & debiliores generat. Proinde & sensus stupidiores fiunt, & motus infirmior est. Calor autem naturalis debilis, cum neque bene concoquat, neque humores superet, atq; excernat, evenit ut in cerebro pituita redundet, quæ facit, ut in hyeme, vel constitutione hyberna ad hunc morbum proclives sint, & deterius se habeant, gravitate capitis & somni laborent, etiam interdiu dolores circa cervicem sentiant. In his igitur ad remedia prius recitata deveniendum, & ne pituita crassescat, opera danda. Conveniunt verò ea omnia, quæ prius recitata sunt, & maxime his utilis est in cibo aromatum usus, qui tamen caput non repleat, id fit si à pastu pulvere peptico cibum claudant. Descriptio pulveris peptici hæc est:

℞ Panis albi tosti ℥iij.
Coriandri præp. ℥j.
Cinnamom. elect.
Galangæ el. an. ʒj.

Mastich.

Mastich. ℈j.

Sacchar.albiss.℔.ß.misc. f. pulvis.

Prodest etiã ad eandem intentionem plurimum usus Diacydomati cum speciebus Galeni post cibum. Item si in pane, quem comedunt, misceatur semen carui, cujus seminis usus non solum comestus; sed & odoratus plurimum commendatur. Itaq; in oleum destillatum carui imponatur panniculus lineus, vel spongia, & ea matutinis horis sæpe odoretur. Sumat etiam mane semen carui & erucæ in pulverem cum sacharo redacta, vel unum de his orbiculis:

♃ Sacchar, in aq. rosar. & lavendulæ dissolut. Vntz. iij.

Ol. sem. carui destillat. gutt. iij,

Ambræ gris. g. iij,

Misce & f. confectio in orbiculis.

Et ne natura ad unum medicamentum assuefiat, mutari possunt remedia, ita ut interdum his orbiculis, & pulvere utatur:

♃ Sacchar. in aq. betonic. dissol. ℥iij.

Ol. succin. gutt. iij.

Pul. snccini albi ℈ß.

Misc. & f. confectio in orbiculis.

Pulvis verò iste ad præservationem plurimum valet:

 ♃ Rad.

℞ Rad. seseli Cretici (quam vulgo *Ber-vvurtz* vocant) ℥j.
Sem. erucæ,
Cardamomi,
Piperis albi a. ℈ij.
Misc. f. pulvis subtilis.

De hoc capiat ad fabæ magnitudinem mane, vel pulvis commisceatur cum syrupo de betonica, fiatq; electuarium, de quo sumatur ad avellanæ magnitudinem. Plurimum etiã prodest internum vacuare pituitosum humorẽ catapotijs, vel pipulis mastichinis ante cibum ad drachmã una sumptis. Frictiones etiam matutinæ totius corporis his utiles sunt, & lotiones pedũ mane ex betonicæ decocto. Item gargarismata matutine facta, quæ cerebrũ expurgant, hoc modo:

℞ Rorismarini,
Vincæ pervincæ,
Vincæ pervincæ,
Rutæ,
Origani,
Salviæ a. P. j.
Zingiberis,
Pyrethri a. ℥j. ß,
Rad. Lappæ major. ℈iiij.

Decoq. aq. ℔. ij. ad tertiæ partis consum-

ptio-

ptionem, & colaturæ affundatur aceti rosacei acerrimi q. s. seruetur in vitro. Hujus gargarismatis usus est mane. Nam purgare os & linguam plurimum prodest, & non parum pituitæ hic gargarismus extrahit, & cerebrum roborat. A quam etiam maioranæ, in qua semina erucæ contusæ, & parum Zingiberis, sint macerata, attrahere per nares utile est. Nam pituitam ad nares, quarum usus præcipuus est, ut cerebrũ expurgetur, provocat. Tertiam causam Medici ponunt: sanguinis crassitiem & plenitudinem. Huius igitur irruptione implentur vel cerebri sinus, vel carotides arteriæ, atq; recte (ut quibusdam videtur) mirabile. Nam in dissectione cadaverum apoplecticorum grumus sanguinis in carotides delapsus, repertus est. Qui verò ex hac causa laborant, eos intra quadragesimum, & sexagesimum annum, quo tempore melancholicus humor maxime viget, corripi Hippocrates testatur, his nihil convenientius ad præservationem ex oraculi sententia est, quam hæmorrhoides supervenientes. Omni igitur ratione opera danda ut fluant. Nam dum fluxerint tutos illos esse non dubitandum.

Cæte-

Cæterum si illud effici nequeat, proximum hoc, ut per cucurbitulas, & venæ sectionem sanguis detrahatur. Ex hac detractione, et si aliquid est adjumenti ; tamen cum fæculentus sanguis non expurgetur, minus, quã par est, juvant. Et frequentior etiam missiõ sanguinis incisa vena refrigerat sanguinem, & spiritus exhaurit, itaque caute agendum. Nam Hippocrates non absolute ad sanguinem, Melancholiam, vel pituitam, causam apoplexiæ refert ; sed humoris crassitiem respicit, proinde studiose vitanda, quæ copiosiorem & crassiorem sanguinem reddũt, ut sunt vina turbida & dulcia, varietas ciborum, immodicæ repletiones calorem suffocantes, exercitia post cibum vino cardui benedicti uti utilissimũ. Convenit etiam in his usus vini medicati, ut ex infuso senæ facti. Misceri autem hoc vinum cibo, sicut & alia medicamenta, cum coctionem turbent, chylum crudum dejiciant, & ita concitatis plurimis fumis spiritus cerebri labefactent, sane probare nequeo. Cæterum si hora una ante cibum sumatur, quin plurimum adjuvet non dubito. Nam sena omnium sensuum organa mi-

na mirifice, & ſine magna noxa expurgat. Ventriculo nullam inſignem moleſtiam adfert, & corroborat. Infuſum autem ſenæ, vel ſyrupus noſter de pomis ex ſena convenientior eſſet. Infuſum hoc modo ſit:

℞ Paſſular.min. ℥vj.
Galangæ inciſ. ʒj.
Flo.borrag.
Violar.a.P.j.

Decoq. ſ.a. in ſ.q. aquæ puræ, & infundantur decocto:

Fol.ſenæ Alexand. ſelect. ʒvj.
℞ colaturæ expreſſæ Vntz. iiij.
huic add.
Mannæ calabrin ʒvj.
Syr.conſervat Zingiberis ℥j.
Miſc. f. potus; detur matutine.

Si vero ſyrupo è ſucco pomorum & ſena uti voluerit, accipiat ℥j. atque huic admiſceat macis ℈ß. Quod ſi corpus lubricum ad iſtum modum expurgetur, moderate cœnet, à vinis turbidis & potentioribus abſtineat, non facile in hoc malum incurret. Lubricum autem corpus fiet, ſi die, quæ præcedit eum diem, quo infuſo ſe-

næ,

næ, vel ſyrupo uti voluerit, enema ex decoctione veronicæ in jure capi, vel galli, cum ſaccharo ſibi iniici curabit. Magis hoc proderit, quam ſi multis diebus ventriculum cum ſyrupis debilitet. Eſt & in hoc caſu hoc obſervandum; ne poſt cœnam is, qui hoc malum metuit, ſtatim cubitum eat; ſed duas, ſi non plures horas à cœna ad ſomnum interponat; ita tamen ne potet. Inter præcipuas apoplexiæ cauſas quartam Hippocrates recitat; dum à craſſis vaporibus aſcendentibus in cerebrum, virtus animalis, quæ ſenſui & motui præeſt, impeditur, & calor naturalis, qui perpetua eventatione, id eſt, ductu ab extra ad intra, ac econtra intro foras indiget, hoc beneficio deſtitutus opprimitur. Hoc autem maxime iis, qui cruditati & crapulæ obnoxii ſunt, accidit: & qui dum crudi ſunt exercere ſe, quam quieſcere malunt. Hujus cauſæ nuper exemplum viſum eſt. Abſtinentia autem & quiete (quibus Celſus noſter maximos morbos curari ait) hi præſervantur. Nequaquam autem dormire iis à cibo utile eſt, & præſertim ſi ſtertere illos familiares
depræ-

depræhendant. Sunt igitur non multo post, quam ſedentes dormire cœperint, ſuaviter excitandi, & ne cubent monendi. Os ſimul ac evigilaverint poſt ſomnum meridianum eluant, & in æſtate manus ex aqua frigida lauent. Modice exerceantur, deinde conſueta tractent. In venereis non ſint prolixi. Nam ſi quid aliud immoderata Venus cerebrum & ventriculum debilitat. Præcedit autem hos plerunq; vertigo, ea quidem in propinquo malum eſſe indicat, nondum tamen periculum præſens. Ea igitur medicamenta, quæ paulo ante recitavi, ſunt uſui, inprimis verò orbiculi, & odoratus deſtillati carui. Nam ne vapores craſſeſcant, & obſtruant opera danda. Ad hoc odore & vapore ſuavi corrigentia eos vapores, qui cerebrum infeſtant, & circumaguntur in eo, atque ut iſti intus volvuntur, ſic foris vertiginem inducunt, plurimum proſunt. Coquere igitur carui & ſuccinum in aqua oportet, & vapores naribus accipere, in ore nucem muſcatum toſtam, cui aliquid ambræ admiſtum ſit, retinere. caſtoreum aceto impoſitũ naribus admovere. Volunt quidam

in ejuſmodi affectione aquis deſtillatis, quas *vitæ* appellant, uti, verum cum & imperitiſſime fiant, & adhibeantur, abſtinendum (ne accelerent magis mortem; quam avertant) cupio. De experientia multos loqui, æquo animo patior; verum cum imperitiam ſuam manifeſte prodat, & ſtultorum omnia plena eſſe nimium res oſtendat, numerum ne augeam, mihi cavendum puto, ne vapores vel cerebrum petāt, vel lędant, in hujus cauſæ conſideratione rectiſſimum & tutiſſimum eſt. Id fiet ſi (ut paulo ante dixi) crapulam, cruditatem ciborũ varietatem, poſt cibum exercitia; vehementes animi commotiones, iram inprimis, & variam atque ineptam victus rationem, fugiant, Vno cibo convenienti contentum eſſe maximum ſanitatis prǫſidium. Poſſunt bruta uno cibo replere famem, & homines non poſſunt? ſatis factum jam cauſis omnibus, vel certe præcipuis apoplexiæ recitatis, & quid ad præcautionem fieri debeat conſtituto, meoque officio me perfunctum putabam; ſed obijciuntur quædam; ac illud inprimis, quod Galenus Aphoriſmo 42. lib. 2. *Aphlegmonoſa, ſeu inflammatoria affe-*

affectione constipante cerebri ventriculos, hunc affectum oriri asserit. Si igitur febris continua (intermittens enim mortis præsagatrix) ita ut par est hanc affectionem comitetur, nullo alio præsidio indiget. Si debilior, malum auget; si potentior, vires deiicit. Itaq; in excessu periculum. Non enim alias aliam apoplexiam febris curat, quam eam, quæ ex sanguinis refrigeratione, crudis humoribus, & flatulento spiritu oritur. Hic verò prudentia præsentis Medici requiritur, nõ ex præscripto res agitur. Sunt & aliæ causæ, in quibus remediis ex medicina petitis non est locus, ut cum ex occursu maximi frigoris, ex valido ictu cerebri sinus & ventriculos lædente, ex subita lætitia, summa indignatione, animiq; commotione, fulmine attoniti, apoplectici fiunt. Hos si comitatur insignis apoplexia, curationis ratio non est alia, quam ea, quę à causis est obstruentibus. Si in paralysin ea desinit, auxiliis, quæ resolutioni subveniant, utendum. Inchoante apoplexia, pleriq; omnes subito sanguinem mittũt, sed hoc certum, occidere missionem cum non liberat. Suffitum etiam ex succino statim factum, qui-

E dam

damvehementer probant, rationibus veris eos destitui satis ostendere eruditi Medici possunt. Sternutatoria periculosa quoque sunt; utilia tamen si in loco abhibeantur. Commendatur pulvis ex radice circea cum ruta, castoreo & zinzibere, atque partes æquales, ita ut narib. inflētur. Concutere partes superiores maxime colli, rectum est. Asserem è tabula cupressi capiti admouere, vel deraso capillo cucurbitulã vertici imponere utilissimum esse, magnus Medicus experientia didicit. De aquis vitæ mortiferis, nihil dico. Magna est varietas, summa in usu vanitas, atque non minus interdum quam ebrietas, quæ huius mali mater est, cum eodem modo cerebrum afficiant, nocent. Clysteria acria, & omnia, quæ divertunt, dum spes est adhibenda. Spes verò est, cum æger spirat. Quia spiratio sine vita non est, nec vita sine spiratione, & semper dum vivit animal spirat, etiã si nõ spirare videatur. Itaq; spiratio magnitudinem morbi, & periculi imminentis in hoc affectu declarat, atq; ut eã probe Medicus consideret, præceptis Hippocratis & Galeni monetur. Si enim æger non spirat,

rat, neq; apoplecticus amplius, neq; vivus
phibetur. In divina igitur potestate relinquendus. Ineptum est lana, pilis, plumis, &
similib. velle piculum despiratione atq; respiratione facere; eum illud in apnœa, aut
syncope frigida, in qua calor cordis refrigerat fiat. Arterarium, quarum motus seu
pulsus, exploratio locum non habet. Nam in syncope frigida languidus plane est pulsus, in apoplectico spirante plenus & validus, nisi cum iam in propinquo mors est. Si
verò apoplexia in paralysin desinit, spiratio sit difficilis, & omnes musculi thoracis graviter laborant, obstructo nimirum principio nervorũ spinæ dorsi, id cum duos meat⁹, seu foramina habeat, dextro vel sinistro
tantum obstructo, in una parte paralysis, q̃
hemiplegiam vocant, consequitur. De cuius
curatione, cum temperamentum corporis
& vires Medicum in primis respicere oporteat, sicut de ea paralysi, in qua sine offensione sensuum, gravitate capitis, & impotẽtia ad omnes actiones naturales, stupor in
aliqua parte augetur, & paralysis illius partis cõsequitur, hoc in loco nobis agendum
non est. Cũ verò apoplecticus sine sensu &
motu iacet, spiratio cũ stertore violenta &

inæqualis, ſudor ſimptomaticus, nihil niſi mors expectanda. Aurelianus in apoplexia valida longeſſimum terminum diem tertium ſtatuit. De validiore & validiſſima oraculum Hippocratis in medio eſt. Benignus Deus omnes miſericordiæ ſuæ in morte filii teſtificatæ confidentes in certa fiducia auxilii ac liberationis ab improviſa morte, & migratione ex hac vita tueatur.

CONSILIVM SEXTVM.

De compreſsione oris ventriculi, & ſpiritus quaſi interclusione pro quodam Nobili Iuvene:

Omnem rectam actionem Medici, rectam cognitionem præcedere oportet. Et veriſſimum eſt illud: *Non intellecti, nulla eſt curatio morbi.* Itaque quid de cauſis morbi tui Medici præſentes exiſtiment, cognoſcere cupiebam. Vel colligi in ventriculo, vel confluere ad illum humores exiſtimo. De pituitæ, quæ in ventriculo generatur, corruptione nullum dubium. De affluxu humoris, ſit ne is à iecinore, vel ſplene hæreo. De meatu illo à veſicula fellis, qui miſeros à nativitate facit, non cogito, neque

bilem copiose transmitti arbitror. Aliquid bilis interdum cum pituitoso humore misceri existimo; Vnd pituita illa, quæ reiicitur flavescit, & viridis apparet. Acrem atque acidum illum humorem è splene affluere, & in stomacho magis, magisq; corrumpi statuo. Ab hoc strangulationis, acredinis, & aliorum symptomatum sensus excitatur. Itaque primus scopus curationis est, ne vel transmittatur humor, vel in stomacho corruptio fiat. Compressionem illam oris ventriculi, & spiritus quasi interclusionem fieri ratione Diaphragmatis, & causam habere flatus existimo. Verum si pituita, quę flatuatur, non redundabit, non ita hoc malum molestum erit. Itaq; necesse est, ut pituitosi humoris copia removeatur, deinde ventriculi intemperies corrigatur. Hunc verum scopum attinget, si interdum solam aloen rosatam ad dimidium scrupulum ante cibum sumet, & rectam victus rationem observabit. Teipsum vero iam quid prosit & obsit animadvertisse puto & ex eo indicationes curandi à præsente Medico peti possunt. Mihi cum nihil ostensum sit, quid afferam? In multis quos

acris & acidus iste humor molestavit, talia symptomata animadverti, omnes per vomitum, interdum etiam quasi screatu salsã pituitam, quã deinceps acidus humor consecutus est, maiori difficultate reiecerunt, neq; prius finẽ fecerunt, quam nigra quædam, vel acida tenuia vacuarẽtur. Humore eiecto temperiẽ stomachi his medicamentis corrigere studui. Cum per anni tempus licuit, thermarum aquas, quæ eluunt, abstergunt, & roborant ventriculum, bibere iussi. Tales multæ sunt in Italia. Nonnullis acidulas præscripsi; frequenter scobem de cornu ceruí, destillatum etiam ex iis, itẽ inprimis cornu cerui ustum. Item rasuram eboris dedi. Item terram Lemniam. Videmus cretam vulgarem, cum in cerevisiam acidam conijcitur, acorem tollere. Itaq; in his siccis magnam etiam vim esse trahendi in certum locum, è quo vacuantur humores, non dubites. Nihil iuverunt inunctiones, purgationes, imo auctum iis malum. Hoc electuarium profuisse scio:

℞ Conser. rosarum ℥ vj.
Spec. aromatic. rosat. ℈ j.
Thuris el. & albi. ℈ ij.

Misc.

Misc. & f. electuarium.

De hoc electuario capiat hora decubitus ad magnitudinem nucis castaneæ. Sputi multitudo non tam humidioris cerebri, q̃ stomachi est index. Vigor ille sensuum, tam interiorum, quam exteriorum reclamat cerebri temperamẽtum esse humidius; sed potest abundare excrementis, quæ ut expurgentur per nares, cum fauces petant, epera danda. Calet haud dubie cerebrum, & tanquam spongia, &, ut Hippo. ait, cucurbita, excrementorum materiam attrahit. Poteris igitur sacculum ex santalis rubris, foliis rosarum, & semine coriandri in puluerem redactis supra caput gestare. Missio sanguinis debili ventriculo non ꝑdest. Nec video quid stillicidiũ aquæ thermarum iuvare possit. Flatus quoq; tibi interdum molesti sunt. Quam sæva symptomata in corporibus excitẽt scio. Itaq; cum calorem infirmum esse, & materiam crudã ostendant, opera danda ut calor confirmetur. Gestabis igitur interdum tale scutum:

℞ Ladani opt. ℥ iij.
Spec. aromat. ℥ j.
Ol. nucis muscat. ℈ ß.

Cum ol.rosaceo completo,& cera q. s. f.ceratum. quod extendatur ad formam scuti,non tegatur sindone, sed corpori applicetur. Cum urgent flatus, incidas minutim zedoariam, & cum vino sumas ad ℈ j. Nolo zedoariam pulverisari. In iusculis interdum sumas semen carui, vel ammi. Aromatum nimium usum vites. scutum stomachale non perpetuo gestes; sed hora una atq; altera ante cibum applices, neque tunc movearis. Hæc poteram in hac nostra miseria monere. Vbi de morbo certiora ex te cognovero, amici officium in me non desiderabis.

CONSILIUM SEPTIMUM.

De flatulenta affectione pro quodam Illustri viro:

Ipse sentio, quam sævi & tristes dolores à flatibus oriantur. Vere autem dico tristes, cum magna animi tristitia non modo hypochondriacas; verum etiam flatulentas affectiones comitetur. Vnicum est remedium, curare ne sis crudus, & ne immodicis laboribus, præsertim cerebri atque cordis, id est, affectionibus, animi intentionibus,

bus, lectionibus, auscultationibus, spiritus exhaurias. Nam non solum cruditate; verum etiam spirituum debilitate calor innatus affligitur, atque flatus generantur. Materiam verò flatuum rectissime vitant ii, qui simplicissimam victus rationem observant; imo vno cibo, qui minime excrementosus sit, contēti sunt. Nihil enim tam facere ad cruditatem, quam ciborum varietatem sæpe monui. Addo hoc; ne in vasis æreis cibi præparentur, vel coquantur. Nam si quid intestinis, & omnibus membris naturalibus nocet, imo vitam lędit, coctura illa ciborum in æneis vasis hoc facit. Magno cum meo malo hoc sum expertus, & Aulas semel sapere, atque fictilibus ollis uti velim. Quam facile pisces, cum paulo diutius in cupreis vasis cocti reliquuntur, corrumpi videmus? Sed de hoc scribere non est necesse. Quia in mētem venit, hoc loco monere volui; si quid hac in parte Illustris dominus monendo etiam Cæsareæ Maiestatis valetudinem iuvare posset. Ad medicamenta vero quod attinet, priu quotidianum usum Theriacæ, vel antidoti Mithridaticæ præscripsi, ita ut tribus vel qua-

quatuor horis ante lucem, instar magni pisi de his antidotis sumeret, vel saltem alternis diebus vsurparet. Mane priusquam domo exit, buccellam panis albi imbueret spiritu vini malvatici asperso saccharo, atque deglutiret. Spiritus verò iste tribus destillationib. in balneo esset paratus. Hæc duo medicamenta facile ad pręcautionem, quę inprimis necessaria est, facerent, & calorem senilem excitarent, atq; iuvarent. Vrgentibus verò flatibus, & ventrem perturbantibus, habet iam Illustris Dominus enema, à me perscriptum. Huic nequaquam incoquerem *Carminantia*, ut vocant, quæ cocta opinione magis, quam revera iuvant; sed pro tertia parte enematis iam cocti & expressi adderem malvaticum vinum. Error autem est & imperitia Medica, malvaticum, dum coquuntur herbæ, affundere. Ad ructus prosunt orbiculi ex saccharo atque oleo carui facti: Iis etiam, si, cum doloribus vacat sæpe Illustris Dominus utetur, præclare suæ valetudini consulet. Ad intestinorum malum velim Illustrem Dominum ceratum ex Ladani atque ceræ æqualibus partibus factum atque iniunctum

junctum caryophyllorum oleo, loco affecto, non modo urgentibus doloribus; verum etiam alio tempore adhibere. Vigiliis senum mederi, maxime eorum, qui in summis curis versantur, & quos iam diu hoc malum vexat, difficile est. Lotiones, inunctiones, præsertim frigidas nihil prodesse certissimum est, imo frigida plurimum lædere constat. Calidis atque odoratis vapores contemperandi. Itaq; hora decubitus una atq; altera pilula parva ex speciebus diambræ, atq; moschi cum succino confecta hoc modo devoranda est:

℞ Syr. diambrę ℈ ij
Diamosch. dulc. ʒ ß.
Succini alb. ℈ j.
Ambræ grys. g. iij.
Misc. & cum syr. de corticibus citri q. s. reformentur pilulæ N. XXIV.

E quibus tres una vice capiat. Ad eandem intentionem instar nucis avellanæ sumat interdum de hoc electuario:

℞ Conser. è florib. nymphææ ʒ ß.
Styrac. calamitæ selectiss. ℈ j.
Margarit. splendid. præpar. absque ullo metallo ℈ ij.

Am-

Ambræ gryſeæ g.vj.
Moſchi gran.iij.
Miſc.& cum ſyr. violaceo q.ſ.f. mixtura aſſervetur in vitro.

Plurimum iſta duo remedia cerebrum roborant, & adverſus vertiginem, atq; ſimiles affectiones proderunt. Hæc nunc potui monere, ſi quid præterea, quo Illuſtris dominus iuvari poſſe videatur, in mentem venerit, fide optima, & voluntate propenſiſſima monebo ac divinum auxiliũ, quantum in me erit, ut optimus Dominus conſervetur, implorabo.

CONSILIVM OCTAVVM.

In dolore dextri lateris ex inflammationa renis dextri pro quodam Generoſo domino:

Cognitionis non aberrantis in morbi inveſtigatione indicium eſſe Medicorum conſenſionem Galenus noſter affirmat. Quam vero Medici de morbo cõſentiant, & quid aſque vera cognitione recte agatur manifeſtum eſt. Meam ſententiam ſimpliciter dicam. Cum in dolore iſto dextri lateris tanta vrinę pro fluvies conſequatur, renem affici nullum dubium. Si dolor vehemens

emens, si sitis, si calor adsunt, ut adesseres estatur, quis de calida intemperie dubitabit? sit ne verò inflammatio, in medio relinquo. Vrina tam multa & copiosa maximam crudorum humorum copiam affluere, & liquari ostendit. Ex his igitur patet, cruditates inprimis in hoc corpore vitandas, & intempestive corrigendas, atque remouẽdas. Qua ratione hoc fiat, nemo mediocriter in arte Medica versatus ignorat, itaque actum non ago. Cæterum quod ad intemperiem istam renis emendandam attinet, hoc opus, hic labor. Frigida simpliciter non prosunt, calida nocent. Temperata igitur adhibenda, corpore non omnino impuro, & viis apertis. Excrementa remouebunt vuæ passæ grandiores cum acinis contusæ, admista terebinthina nostro modo cocta. Erit etiam aliis medicamentis locus de iudicio Medicorum præsentium, qui plus vident, quam ego absens indicare possum. Vsus autem clysteris ex solo decocto veronicæ cum saccharo, magis quam ulla medicamenta, per os assumpta, proderit. In decoctum vel adeps veruecinus ad renes, vel cuniculi, aut capi, adiiciatur, ita ut lu-

vt lubricitatem faciat. Si ista non sunt ad manus, parum butyri reeentis addatur. Intra corpus probo decoctum passularum, quas *cibebas* vocant, cum radicibus althæa, & veronicæ hoc modo:

℞ Passular. maior. seu cibebarum ℥ ß.
Rad. althææ ℥ ß.
Herb. veronicæ P. j.
Decoq. in s. q. aquæ puræ, colaturæ
℞ ℥ iiij.
Mellis depurati,
Butyr. recent. an. ℥ ß. Misc.

Bibat ieiunio stomacho, siue mane, siue ante cœnam. Regioni autem renum hoc cataplasma imponat:

℞ Pul. radic. althææ ℔. ß.
Vini optim. q. s.
Gummi Tacamahacæ ʒ iij.

Misc. & extendatur, atque sinistro lateri in parte dolente applicetur. Hæc scripsi subito, ne gratia officio quod mora tardaret abesset. Si quid deinceps in mentem venerit Generosum Dominum pro mea fide, & cupidissima gratificandi voluntate, monebo.

CON-

CONSILIUM NONUM.

De præservatione à calculo pro quodam Nobili:

Præservatio est remotio causæ facientis, vel facturæ morbum. Causæ verò in generatione calculi duæ spectantur; efficiens, videlicet calor renum, & materialis. Præbent autem causam calculo omnes humores, maxime autem pituitosus. Ideoque recta victus ratione inprimis cavendum, ne huiusmodi humores, qui ad proventum calculi faciunt, in corpore coacerventur. Vitanda igitur sunt omnia, quę cruditatem augent, & à cibis mali succi cavendum, abstinendum à frequenti usu piscium, lacticiniorum, avium quæ delectantur aqua. Deniq; ab omnibus, quę copiosum alimentum præbent. Non miscenda diuretica cibo: vitanda vina Austriaca nō secata, & coctio compotationibus, inambulationibusque nō turbanda. Diuretica, sive ea sint calida, sive frigida, quæ tamen proprie diuretica non dicuntur, nō nisi ante pastum, vel lōge à pastu assumenda. Cæterum cum in accurata etiam victus ratione excrementa proveniant, paulatim ea sunt subducenda.

Id fiet

Id fiet si ista pilularum massa ℥ ij. vel iij. singulis septimanis semel assumpseris:

℞ Terebinthin. ex aqua simplici & ultimo rosar. nouies lotæ ℥ j.
Rhabarb. opt. & subt. pulu. ʒ iij.
Cinnamom. elect. ʒ j.
Pulu. succini alb.
Ceterach.
Liquiritiæ. an. ℈ j.

Misc. f. magdaleon, de quo formentur pilulæ mediocres. Hæ pilulæ satis facient ad remouendam materiam calculi, si temperanter tamen vixeris. Cæterum si quotannis semel in anno potiones purgantes suauiter humores sumpseris, plurimum valetudini tuæ cõsules. Quod ad alterationem renum attinet, cum non solus calor; sed quiddã ex semine propagatum, vel à causis cœlestibus ortum ad calculi generationem faciat: etsi inquam propter hanc causam alterare renes frigidis interdum parũ iuuet; tamen plurimis profuisse scio, postquam corpus mediocriter pilulis præscriptis purgatum fuerit, cum post medium noctis hanc potionem biberint:

Aq. fragariæ ℥ v.

Syr.

Syr. de succo violar. ℥j. Misc.

[Q]uidam etiam singulis noctibus aquam [fri]gidam bibebat, atque gravissimos cruci[atu]s calculi, quos ante perpessus fuerat, ef[fu]git. Mane verò ne frigida potio noceret, [ali]quot grana piperis integri assumebat. [A]d eandem intentionem rectè assumitur [int]erdum ʒ ß. vel ℈j. succi portulacæ inspis[sat]i, ita ut in pilulas redigi possit. Inun[gu]ntur etiam renes ante decubitum hoc [un]guento:

℞ Infrigidant. Gal. ℥j.
Vnguenti Mesues ℥ß.
Santalini ʒij. Misc.

[P]ostea convenientibus diureticis utetur, [do]loremque sedare studebit.

CONSILIVM DECIMVM.

[D]e præcautione Colici doloris pro quodam Nobili viro.

Sapienter, ut cætera omnia, hoc noster [Hi]ppocr. scripsit: *Nihil parvum, nihil conte[mn]as.* Vtinam autem Politici viri illud non [tan]tum in valetudinis cura; verum etiam [in re]publicæ observarent, minus fortasse ca[lam]itatum in communi vita esset. Cum igi-

 tur à

tur à me consilium requiratur de præcautione colici doloris,atque paresi, quæ jam semel in hoc corpore colicum dolorẽ consecuta est, principio hoc moneo etiam atq; etiam procurandum,ne rursus in illud malum vir præstantissimus incurrat,cùm perpauci, quos secundo hic morbus invadit periculum effugiāt. Nam prior morbus ita plerunq; naturam debilitat,& eam intemperiem in intestinis relinquit, etiã membra paralysi affecta eo modo debilitat, ut cùm secũdo recurrit,vel intemperantia accersitur,optimis etiam remedijs parum juvetur. Hæc eo pertinent,ut vir prudẽs admonitus majori studio periculum vitet. Porro cum cruditas prima causa sit,& quasi fons & origo hujus morbi (hanc enim flatus & cæteræ molestiæ consequuntur) in primis enitendum,ut corpus cruditate vacet. Id fiet observata recta victus ratione, quæ in diligẽti cura rerum non naturalium, ut Medici appellant,consistit. Quod igitur in præsentia dixi, idem nunc de sententia Galeni nostri repeto : supervacaneum esse optima medicamenta ijs præscribere, qui rectã victus rationem tenere nequeunt. De aere non multa dicam, cum ferendus necessario sit

occu-

:upatis, qualis occurrit; verum cum is
pora nostra plurimum immutet,contra
irias illud corpus præmuniendū. Frigi-
igitur&humidus quantum fieri potest
indus. Inferior venter totus lineo panno
eri & attrito,decuplo etiam,muniēdus,
:harta papyri superponenda; ut minus
intestina, & membra nutritioni servi-
:ia afficere possit. Pedes etiam neque
nectandi sępe,multo minus refrigeran-
De cibo & potu longa futura esset com-
moratio,si singulis inhærere vellem. Vt
us sit simplicissimus, & minime varius,
:sertim in uno pastu sumptus, moneo.
rnes,pisces, lacticinia minime misceat;
quantum potest,cum pisces,& lacticinia
provētum pituitosi humoris faciant,vi-
. A crudis verò plane abstineat. In potu
m plurimum peccetur,adhibenda est di-
entia,ut quæ noceant, vel prosint nobis
servemus. Nam potus, quem ventris
irmura & flatus consequuntur, quique
r urinam difficulter transit, noxius o-
nino est,itaque cavendus,ac licet sit diu-
ticus; tamen cum pituitam secum
piat intempestive, obstruit meatus, &
ulta incommoda affert. Cærevisiæ igitur
F 2 horde-

hordeaceæ ufum nequaquam probare poſſum. Neque etiam noſtratis arietis, quem potum plerunque crudum bibimus, niſi vectura, vel debita cura cruditatem emendet. Convenientiſſimus igitur uſus eſſet cereviſiæ Bohemicæ bene defecatæ atque maturæ. Vinum omne ſuſpectum. Dulcia enim craſſa & turbida plurimum nocent, etiamſi parce ſumpta non magnopere lædere videantur. Inprimis autem Moravica noxia ſunt, & nativum quiddam quod hunc morbum conciliat, in ſe continent. Hinc tot colicos & paralyticos in Moravia videmus. Nec ab hac malitia abſunt Auſtriaca, niſi bene atq; ſæpe ſint elutiata. Rhenenſia pura, matura, non contaminata hominum fraude innocentiſſima ſunt. Horum igitur uſum laudatem, ſi in prandio tantum vinum biberet. In cœna verò cereviſia, ut dixi, alba contentus eſſet. De ſomno, & cæteris rebus non naturalibus, ut Medici appellant, nihil præcipio. Ad medicamenta autem quod attinet, cum etiam in exquiſita victus ratione crudi & corrupti humores colligantur, familiari aliquo medicamento expurgandi ſunt, ne mole

ſua

noceant. Itaque nisi vel insignis æstus,
frigus obstet,recte utetur pilulis, qua-
n ista est compositio;

♃ Aloes rosatæ ℥j.
Rhabarb.el. pul. & aq. cinnamo.aspersi
℈ij.
Agarici recenter trochiscati ℈j.
Mastich.
Myrrhæ a. ℈ß.

m syrupo de absinthio reformentur pi-
æ,numero xxv. De his pilulis capiat ho-
ına ante cœnam, præcedente prandio
ui singulis octo diebus quinque, vel si
um subduxerint,septem. Videntur qui-
n clysteria in hoc malo minus noxia;
si malum supra umbilicum est, parum
ant. Vt verò semper periculosius inte-
a supra umbilicū,quàm infra laborant:
clysteria injecta, dum obstructiones in
erioribus partibus sunt, parum materiā
ingunt & sæpe usurpata hoc incommo-
m afferunt. Primum,quod segniorem
tutem expulsivam reddunt, & efficiunt
lvus nō nisi irritata se exoneret. Secun-
, quod istæ impulsiones subitæ materiæ-
matum, vel nimis calidæ, vel frigidæ

temperamentum intestinorũ lædunt. Deniq; quod nullum enema applicari possit, quin non simul multi flatus intrudantur: doloribus tamen vrgẽtibus cum pilulæ, & similia medicamenta per superiora crudis existentibus humoribus minime tuto adhibeantur, necessario ad enematum vsum deueniendum est. Inprimis verò commendatur decoctũ veronicæ, quæ à proprietate colicis medetur. Ea coquitur in jusculo gallinaceo, & libræ juris decocti adiiciatur vini Maluatici ℔. ß. Myrrhæ ʒ ß. & tanquã clyster imponitur. Recte etiam decoctum veronicæ ex vino cum dimidio scrupulo myrrhæ per superiora inchoantibus & vrgentib. doloribus datur. Sed curationem, quæ præsentem Medicum requirit, neque ex præscripto recte suscipitur, non institui nunc scribere. Quæ ad præcautionem facere videantur, de iis monere volui, & cum duo jã absoluta sint à nobis; primo, ut cruditates vitentur, nec materia cumuletur, deinde vt materia collecta paulatim subducenda sit; restat tertium, quid ad roborandũ calorem innatum fieri debeat. Etsi aũt calor corrupto temperamento partiũ, & sub-

sublato, vel impuro reddito humido, cui
se insidet, & à quo fovetur, difficulter ad
am moderationem reduci ita potest, vt
fcium suum integre præstet; tamẽ quan-
um in nobis est annitendum, & anceps po-
us, quam nullum remedium adhibẽdum.
Consului de vsu olei absinthii, quo totus
enter matutine inungendus, cum absin-
ium maxime partes roborare Medicis
deatur, ne flatus suscipiant. Sed magis
uabit meo judicio oleum magistrale, ꝙ
machale nominant. Maxime autem fla-
bus resistet si ambra liquida, vt vocant,
nbilicum inunget, vel si ea haberi nequit,
eo myrrhæ. Muniet etiam ventriculum
nplastro, vel scuto, quod vmbilicum at-
ngat, ex cera & ladano confecto, si huic
nbra grysea, vt appellatur, in puluerem
dacta, inspergatur, longe potẽtius reme-
ium erit. Intra corpus sumet interdum
im vino post parcam cœnam tribus vel
uatuor horis scrupulum vnum radicis zo-
bariæ incisæ. Nonnunquam sextam par-
em scrupuli myrrhæ selectissimæ, singulis
iam mensibus matutine horis sex prius-
uã cibum sumat, accipiat scrupulũ vnum

Theriacæ, vel Mithridatij bene confecti; & si rationes illius hoc ferunt, singulis annis semel in Thermis lavet. Nam si quid aliud, maxime Thermarum usus labefactum calorem erigit. *Hirschbergenses* laudo; sed *Landecenses*, etsi calefiant, multis de causis præfero. Hęc habui quę nunc monerem. Ea si ornatissimus vir observaverit, haud-dubie reipsa experietur, me recte & fideliter monuisse. Vt autem à Deo, sine cujus nomine, nihil felix & salubre, fortunentur ex animo precor.

CONSILIVM XI.

In Paralysi ex Colica.

Etsi infirmissime valeam; tamen persolvendum mihi est tuæ humanissimæ epistolæ; ne beneficij tui immemor atque ingratus videar. πάρεσις, quæ colicum dolorem consequitur, à paralysi, quę apoplexiam, vel paraplexiam comitatur, origine & causis differt. In paralysi cerebrum, & principium nervorum affectum est; Itaq; ad caput, & spinam dorsi remedia adhibemus. In paresi post colicam malum ab intestinis oritur, & impetu quodam ad membra exteriora

iora fertur, ac musculos, tendines,& rtes exteriores occupet; sæpe principio rvorum illæso. Itaq; primum intestinom malam intemperiem corrigere studeis; deinde materiam, quæ in membris :erioribus est,discutere,& membra cororare,hoc est, ad suam temperiem recere. Ad intemperiem verò intestinon,nisi inflammatio adsit, felici successu tillatum è galbano,baccis lauri,&gum-Elemi umbilico adhibui. Membris vero erioribus pro corporum constitutio ne nenta & unguenta, quorum formulas tás ego nunquam observavi,sed,ut cor:a ferebant,ordinavi.

Destillatum:

℞ Gummi Galbani,
Elemi,
Hederæ.
Ol. laurin. (aut etiam baccarum lauri) ana partes æquales.
stillentur. Serventur seorsim primo a-ι. Deinde oleum clarum; tertio oleum flius.

℞ Rad.urticæ Miij.
Ivæ artheticæ Mij.

F 5 Baccar.

Baccar.lauri,
Salviæ,
Rutæ,
Rorismarini.a.M.j.
Gran.juniper.M.j.ß.

Incidantur,& dentur ad chartam pro balneo.

℞ Pingued.taxi,
Vulpis,
Gallinæ,
Anatis,
Anseris,
Ciconiæ an. ℥.j.
Succi salviæ,
Absinthij inspissat.an.℥ ß.
Ol.laurini ℥ij.

Misc. f. unguentum, quo inungatur post balneum.

CONSILIVM XII.

In dysenteria pro quodam Nobili.

In fluxionibus ventris cruentis,ut in sputo sanguinis, diligentem Medici considerationem medicatio requirit. Ideo cœca quasi remedia præscribere non possumus, præsertim cum hæ affectiones ostendant, quan-

quantum inter Medicum doctum & rationalem, atque imperitum & audaculum empiricum sit discriminis. Tutissimus autem est usus clysterum, primo:

℞ Furfurum tritici macri.
Hordei an. P. ij.
Herb. malvæ,
Parietar.
Chamæmel. a. M. ij.
Acetos. M. j.
Fiat decoctio in s. aquæ lactis quantitate, colaturæ.
℞ ℔. j. vel in grandiusculis ℔. j. ß. add.
Mellis rosat. solut. ℥ j. ß. Misc.
Deinde adhibeatur alius clyster:
℞ Herb. plantag. centinodiæ an. M. j.
Rosar. rubear. M. ß.
Radic. tormentillæ ℥ ß.
Decoq. in lacte ustulato, & decoct. add.
Mucillagin. semin. cytoniorum.
Succi plantag. a. ℥ j. ß. Misc.
Reiteretur hoc enema, vel loco ejus quod sequitur:
℞ Lactis ustulati q. s. in quo decoq.
Rad. tormentill.
Consolidæ a. P. j.

Inque

Inque colatura dissol.
Sevi hircin ℥j. vel ℥ß.
Add. vitellum ovi, & detur.

Pro potu, quia graviter sitiunt recte illis datur, emulsio amygdalarum dulcium cũ aqua tormentillæ, & pulveris diatragacan. in ovis sorbilibus. Item hic pulvis:

℞ pul. rad. tormentillæ ʒj.
Nucis muscat. ℥ß.
Sem. plantag. ʒß.

Misc. f. pulvis, de quo mane & vesperi detur drachma una; sed prius repurgatis excrementis per clysteria, vel exhibitionem rhabarbari loti, item missionem sanguinis.

CONSILIVM XIII.

De præservatione à Lumbricis, & eorum curatione, pro quodam Generoso Domino.

Lumbricos esse de eorum genere, quæ tota substantia præter naturam sunt, atque ideo è corpore eijciendos, Galenus nobis ostendit. Materiam verò eorum crassam, crudam, & excrementitiam intestinis adhærentem, in hoc corpore albedo indicat. Efficientem autem, calorem putredinalem illum

illum quidem; verum non abſolute,cum ſecundum Ariſtotelis ſententiam, ſimpliciter putreſcens non generet. Duæ igitur præcautionis & curationis ſunt intentiones,videlicet,ut opera detur, ne materia in corpore proveniat,vel ſi proveniat,ut educatur, deinde ut calor contemperetur. Materiei in corpore proventum prohibemus recta victus ratione, quæ eo directa eſſe debet,ut ab omnibus, quæ craſſos humores gignunt, ſibi veſtra Generoſitas caveat. Aerem igitur frigidum & humidum vitet,præſertim nocturnum. Corpus ante cibum,nequaquam poſt exerceat, poſt cibum non ſtatim dormiat. Balnea à cibo vitet. Alvus ut ſit aperta procuret,vel cum non eſt,pilulis ex aloe, quarum deſcriptio litera A.ſignata eſt,utatur. A cibis craſſis, qui difficulter conficiuntur, & pituitoſis, ut piſcibus,carnibus pinguibus,lacticinijs, & crudis abſtineat. Lactucam tamen cum aceto & oleo olivarum comedere in cœna poterit; Cibos ſuos acidos,vel ſucco limonum,vel citri,vel aurantiorum reddat. A nimio verò aceti uſu propter podagram, & articulorum dolores ſibi temperet. Legumi-

guminum usum vitet. Pane fermentato utatur. Non multum pro una vice comedat, nec nisi febricitet, hora cœna, (quod plerunque fit in vermibus) à cœna abstineat, Tum verò decocto è radicibus cichorij utatur. Ac cum febris, & calor præternaturalis adest, caveat à nimio amarorum usu, cum illa calorem præternaturalẽ augeant: sed cum sine febri est, rectè amara adhibẽtur, quib. vermes enecantur. oportet enim prius interimere vermes, vel saltem facere, ut obstupescant, quam medicamentis purgantibus educere. Ad necandos vermes pscripsimus pulverem, notatum litera B. Eo cum triduo, vel quatriduo Generosus dñs est usus, ut mortui educantur, vel pilulis de aloe, vel potione, quæ litera C. signata est utendum. Aut ex jure galli pingui cum saccharo clyster unciarum quindecim injiciendus. Nam quæ vermibus grata sunt, per inferiorem ventrẽ injici debent. Olea cum refugiant, nequaq̃ clysteribus admiscenda, multo minus aloe, vel alia amara. simplicia autem quæ necant vermes, & omni tempore præberi possunt, sunt ista: Coriandri semen præparatum, semen citri, arantiorum,

rum,limonum, pulvis è vermibus terrenis cum rasura cornu cervi ad drachmam unam. Pulvis corni cervi usti,terra lemnia, &c. Vsus etiam theriacę ad magnitudinem fabæ matutino tempore, item sub noctem myrrhæ ad magnitudinem pisi assumere utilissimũ est. Sed inprimis præstans medicamentum si ex succo chamædryos (D) & succo scordij syrupũ confici jusserit, & de eo in septimana cochlearia duo matutina hora sumserit. Si volet ut hic syrup9 purget feruentis syrupi libræ dimidiæ uncia una foliorum senæ,&agarici albissimi uncia dimidia in petita ligata imponantur. Sed syrupo purgante semel in septimana uti satis est. Si succi non habentur, fiant ex herbarum decocto forti. Adhibentur inferiori ventri olea & cataplasmata, quæ vermibus adversantur,ut oleum è nucleis persicorum sicut fit oleum ex amygdalis cum oleo amygdalarum amararum. Item taurinum vel cum illis mixtum, aut cum aloe, aut succo foliorum persicorum. Talium medicamentorum aliquot formulas, sub litera E. descripsimus. Cataplasmata etiam ventri apponenda litera F. notavimus.

Ad

Ad caloris autem contemperationem nihil utilius omnes Medici practici medulla cervina existimant. Ea non solum lumbos & peritonæum; sed universam spina dorsi inungunt. Hæc igitur si diligenter fuerint per aliquot menses observata, non dubito, quin & vermium generationem sint impeditura, & ne articulorum dolores crebro sint graves atque molesti effectura. Nam cum ex pituitoso humore fuso atq; putrefacto articulorum dolores proveniant, sublata materia illa, malum hoc consequi non poterit. Adhibenda tamen alia quoque ad podagram sunt auxilia. Et cum Generosus dominus Mithridatica antidoto, vel Theriaca utetur, ut in lecto sudet opera danda. Abluendum sæpe, ad materiam, quæ ex capite fluit, absumendam, caput, & in lixivio polytrichum decoquendum. Sapone autem medicato utatur litera G. descripto, & post lotionem capiti applicet sacculum, litera H. descriptum. Pedes abluat vino, in quo flores verbasci cum sale ebullierint.

Sed tutissimum est mundare pedes sæpe cum urina propria, vel pueri masculi, vel cum tument, decoquere in aqua pluviali

baccas

as lauri,alumen,thus,& sulphur, atq;
e decocto linteolum madefacere, &
e applicare. Si verò rubor & calor
,frigide apponendum est. Herbas ad
ntationes,videlicet,origanum,absin-
n,artemisiam,agrimoniam, chamæ-
m,& rationem utendi novit. Ne ni-
n calidis fomentis utatur caveat. In-
iones,cum spes curationes propemo-
evanescat,vitandas existimo. Hæc
n à Benignissimo DEO fortunari

quitur descriptio medicamentorum, quorum usus supra propositus est.

A.

loes rosat. ℥ j.
Ayrrhæ el. ʒ j.
i syrupo rosato solutivo reformentur
æ mediocres. Capiat drachmam se-
iro vice.

B.

oriandri præparat. ʒ j ß.
em. portulac.
Citri,
imonum a. ʒ ij.
edoariæ ʒ j.

Cornu cervi usti ℥j.
Misc.f.pulvis. Sumatur ad drachmam dimidiam.

C.

℞ Decocti sebesten ℥iv.
Rhabarbar.electiss. ʒj.
Maceretur in eo,& prius aqua cinnam. humectetur,atq; expressum detur.

D.

℞ Syrupi è succo, vel decocto chamædri-ôs,& scordij facti.

E.

℞ Ol.è nucleis persicorum, & amygdalarum amar.express.an. ℥j ß.
Theriac.optim. ℥ iij.
Mithridatij elect. ʒij. Misc.
Item: ℞ Succi Fol.persicorum ℥j.
Aloes optim.in spiritu vini dissol.℥ß.
Myrrhæ ʒ ij.
Fellis tauri ʒvj. Misc.

F.

℞ Folior.absinthij vulg.
Santonic.
Menthæ, a. P.j.
Nucleor.persicorum.
Amygdal.amar.an. ℥ ß.

Cum

Cum felle taurino & oleo amygd. amar. f. cataplasma.

G

℞ Saponis Veneti. ℔ j.
Santali citrini.
Rad. iridis a. ℥ ij.
Caryophyllor. ʒ j.
Ambræ g. vj.
Dissolvatur in aqua rosarum sapo, & stet in loco calido, ac reformentur globi.

H

℞ Santalor. rubr.
Citrinor. an. ℥ ij.
Rosar. rubea. ʒ j.
Corall. rubeor. ℥ ß.
Nucis muscatæ,
Caryophyllor. a. ℈ j.
Succini alb.
Mastich. a. ℈ ß.
Ambræ g. vi.
Misc. f. sacculus cum bombace sindone obductus, & serico filo distinctus, ne pulveres in unum locum concedant.

CONSILIVM XIV.

Pro præseruatione, & curatione Podagræ pro quodam Episcopo.

Cum reverendissimus Princeps firmis sit viribus, & calor naturalis, omnium operationum naturalium opifex, illæsus, conjugio etiam non devinctus, initio hoc monendus, ne ullo modo corpus medicamentis affligat; sed recta victus ratione, & mediocri diligentia articulorum dolores vitari posse sibi persuadeat. Verissima enim est Avicennæ de omnibus morbis, quæ à fluxione pendent sententia: *Nisi materia adsit, neque membrum, à quo defluit, eam exoneraturam, neq; debilem partem illam recepturam.* Rectam autẽ victus rationem appello, quæ neq; in qualitate, neq; in quãtitate peccet. In qualitate præcipue peccatur, cum est cibus varius. Itaq; varietas ciborum vitanda, & simplicissimo cibo, qui non multum humorem generet, utendum. Vsus igitur carnium sit temperatus, præsertim gallinacearum. Ab ijs autem, quæ vel crudos, vel corruptos humores generãt, prorsus sibi temperet. Pisces rarissime comedat. A cancris, anguillis plane abstineat. Fungos, carnes suill

,lacticinia vitet, cruda omnia fugiat.
tantum & cerasa, & persica bene ma-
n prima mensa concedi possunt. A
is abstineat. Lactucā modice sumat.
parum & olivarum usus tutior. Carnes
n, quæ citra loca palustra versantur,
serum, anatum, item pingues omnes
ime agninas & suillas nō attingat. Ver-
na tutissime vtetur, & bovina tenera.
llinam etiam non satis adultam mini-
probo. Legumina pauca conveniunt,
ter hordeum decoctum. Vtatur verò
nibus magis assis, quam elixis. Cōditos
nium cibos vitet, & simplicissimo, vt o-
ndi, contentus sit. Quantitas autem sit
ut de mensa surgens plura semper appe-
, neque vnquam ita cibo sese repleat, ut
llum illius desiderium relinquat. A potu
rò quantum potest sibi temperet. Si sola
revisia triticea tenui contentus esse pos-
t, haud dubie plurimum adiumenti sen-
ret. Sed cum fortasse vino assueverit, vta-
ır Rhenano minime forti, vel crudo, & ei
liquid rubri vini, quòd à pede anserino
omen habet, affundat. A Morauicis, Au-
triacis, Vngaricis, dulcib. & crassis omni-

bus sibi temperet. Monui de remedio divino, adimente articularem dolorem, Vercellensibus in quodam viro quinquagenario podagrico à Machione capto, & viginti annis in carcere detento ostenso, quod satis declarat, unicum remedium in hoc morbo è victus ratione petendum. Sed alia pauca ad præservationem addam. Primum hoc est, ut ventriculi robur medicamentis purgantibus non debilitet. Itaque præter evacuationes annuas, veris & autumni, quo tempore & sanguis recte mitti poterit, nullis alijs medicamentis, quam aloe rosata utatur. Sumat autem scrupulum unum de hac massa:

℞ Aloes rosatæ ℥ij.
Mastich. ℈j.
Cum syrupo rosac. solut. q. s. f. pilulæ pro qualibet drachma duodecim.

De his igitur sua reverendissima Celsitudo sumat quinque hora dimidia ante cœnam: & parce cœnet, atq; istis pilulis absq; omni noxa in saccharo rosato, vel cum melle rosato singulis septimanis uti poterit, imo cũ maximo valetudinis commodo. Annuas purgationes non præscribo, verum hoc moneo,

:o , ut talia medicamenta exhibean-
uæ vires ventriculi non affligant, ne-
:a debilia ſint,ut humores potius tur-
,quam educant. Infuſum ſenæ & rha-
ari cum manna maxime probarem. Vt
calor naturalis juvetur, & humores
on corrumpantur, vel abſumantur,
ulo ut ſingulis diebus matutine,poſte-
.m os & linguam bene mundaverit,de
enti electuario ad magnitudinem nu-
aſtaneæ ſumat;
Conſerv.roſar.rub. & ſi haberi poſſunt
Damaſcena. ℔.ß.
pec. aromatic. roſa. Gal●iel. complet.
ʒ iij.
:aryophyll.inciſo.ʒ.ij.
mbræ el.℈j.
Miſc. & cum ſyrupo de cortic. citri f.
luarium. Detur in vaſe vitreo, vel py-
: vitreata. Quantum adjumenti ad
erſi corporis valetudinem Reveren-
mus Princeps ex uſu illius electuarij
abiturus re perſpiciet. Cum autem
eria Podagræ præcipue à capite per
verſum corpus feratur, duo inprimis
præſervationem utilia remedia ſunt

obſervanda : lotio nimirum capitis, & ſudor matutinis in lecto. Caput abluendum curabit ſingulis ſeptimanis bis ante cœnã, nec poſtea aeri ſe exponat. In lixivio decoquatur polytrichum, & utatur ſapone moſchato, hoc modo facto:

℞ Saponis Veneti ℔.j.
Santali citrin.
Rad. ireos a. ℥ j.ß.
Caryophyll. ʒ j.
Ambræ griſ. ℈.ß.
Moſc. g. v.
Miſc. f. globi.

In lecto matutine ſudet, quotieſcunq; poterit, ac quo frequentius ſua celſitudo hoc fecerit, eo tutiorem ſe eſſe putabit. Hiberno tempore aliquid theriacæ, vel Mithridatij ſumere, cũ ſudare volet, poterit. Remedia ad roboranda membra ſuſcipientia, cum in illis calor nativus ſit integer, & neque temperies, neque compoſitio partium mutata, non video cur ſit opus. Hoc tantũ moneo, ne Thermarum, vel lotionum uſũ pedibus prodeſſe reverentiſſima ſua Celſitudo ſibi perſuaderi ſinat. Pedes mundare cum ſpongia intincta in vino rubro ſtyptico,

o, in quo sal sit decoctũ, utile est. Item pore vindemiarum mane vinaceis, è ɔus paulo ante vinum expressum est, nittere atque fovere. Caligis etiam lis lotis in vino cum sale, & siccatis uti; sed iæ imponere nequaquam conveniens, st paroxysmum fomentis ex herbis dectis in vino ad discutiendas reliquias ıteriæ, quæ affluxit, adhibere juvat. Verm, ut initio dixi, sola victus ratio, in qua iam aer frigidus, & humidus continetur, ıi magnopere vitandus, rectissima præ- rvationis via est. Curationem dolorum on attingo, cũ ea propter tempora mororum, & varietatem materiæ præscribi ıequeat, & errata in ea plurimum detrinenti adferant. Medici igitur præsentis & prudentis considerationi relinquenda sunt, & minus potius, quam nimium faciendum.

CONSILIVM XV.

In podagra pro Barone quodam Polonico.

Est mihi initio non tam de temperatura Magnifici & Generosi domini Palatini; verum etiã de morbi causa, & natura aliquid

commemorandum, & ponenda quasi hoc modo fundamenta certa præseruationis & curationis morbi articularis, quo Magnificus dominus affligitur. Sed cum temporis angustia hoc non ferat, & ægritudini bonis potius remediis, quam Autorum sententiis varie conquisitis sit occurrendum, supersedebo longiori disputatione, & quæ rectam & tutam medicationem spectare videntur, exponam. Nam etsi morbus Magnifici domini, qui genu, cubitum, manus, ac pedes, & universum corpus afflixit sit inveteratus, & iam durities ac nodi fieri cœperint, de qua scriptum est à Poeta: *Tollere nodosam nescit Medicina podagram*, præcesserint etiam medicationes perniciosæ, virtus cordis, hepatis, & ventriculi sit debilitata, & ob hæc omnia, & his plura valetudo pæne desperata; tamen non dubito, quin arte & ingenio boni Medici, ita in meliorem statum possit reduci, vt nec sæpe morbus, nec multum affligat. Absoluta verò sanitas, & valetudo plane firma potius à Deo, quam à Medicis est speranda & petenda. Proinde Magnificum & Generosum dominum adhortor principio, ne

ne ulli Medico credat grauioribus Medicamētis morbum se depulsurum affirmanti, fugiat vnctiones mercuriales, & thermas, & in iis aut similibus remediis, quæ bona fide, summa diligentia proponam, & præcipue in diuina benignitate spem suam collocet. Quod ad morbum attinet non recensebo ambages de natura, causis, & reliquis, quæ à Medicis prolixe disputantur. Nam in omnib. ferme articulis debilitatem esse constat, cū diuturna fluxione materiæ crudæ & biliosæ ad iuncturas, in quibus inflammatio & tēsio per certa interualla fieri solet. Posito autem isto cōstat in curatione morborū, quæ à fluxione dependent, quatuor esse consideranda: primo, membrum mandans, i. à quo fluunt humores: secūdo, recipiens, h. e. ad quod fluunt. tertio vias, i. per quas fertur materia; & quarto, materiā ipsam. Mandantia, recipiētia, & viæ, roborationē & alterationē debitam requirunt. Materia ablationem. Præclare autē Auic. inquit: *Si materia fuerit sublata, neq; membrum mandans mandabit, neq; recipiēs recipiet.* Quare cum in pseruatione, tū in curatione primo ad materiam est respiciēdū, & cauendū, ne

ea

ea in corpore generetur, & si quæ est genita, ut illa quamprimum auferatur, deinde vt membra alterentur & reborentur. Materiæ autem generationem in corpore cavemus bona victus ratione, & recta administratione earum rerum, quas Medici *non naturales* vocant. Primum igitur aer nebulosus, pluuiosus, & ventosus vitandus, præsertim nocturnus. Dormiat igitur sua Magnificentia clausis fenestris in cubiculo, ubi aer sit exiccatus, & temperatus in calore & frigore. Talia sunt ea loca, quæ sua Magnificẽtia inhabitat. Caput, à quo magna pars ægritudinis dependet, sit perpetuo mundũ & munitum, non tamen nimium à pellibus calefiat. Exercitium admodum cõtra cruditatem prodesset; sed quia & manus & pedes à doloribus sunt debilitati, non possum exercitium consulere. Nam membra debilia firmanda sunt. Somnus sit nocturnus octo, vel nouem horarum. primo super latere dextro, deinde super sinistro, postremo rursum super dextro. Si autem sua Magnificentia aliter cubare consueverit, non mutet consuetudinem. Cum sua Magnificentia cœnat, nõ nisi quatuor horis à cœna

cubi-

cubitum eat. Lotiones & balnea omnino vitet. Caput aut singulis septimanis semel abluat, & in lixivio, quod ex cinere sarmentorum vitium sit factum, decoquantur rosę, betonica, stœchas Arabica, & agaricus albus. Paretur autē sapo in hunc modum:

℞ Saponis Veneti ℔.ß.
Santal. citrin. ℥.v.
Rad. ireos ʒij.
Caryophyll.
Lig. aloes an. ʒj.
Macis ℈j.
Moschi parum, siquidem gratus S.M.

Quod ad victus rationem, cibus sit moderatus, simplex, boni succi, minime excrementosus & flatuosus, & nunquam ad satietatem ingestus. Ideoque sua Magnificentia sit contenta uno ferculo, & non varios & diversos cibos misceat. Nihil enim perniciosius in hoc morbo, quam cicorum varietas & diversitas, cum ea non minus quam multitudo & satietas cruditatem inferat, quæ mater hujus mali est. Vtatur autem carnibus optimis & laudatis, quales præscribunt Medici: vitulina, hœdina gallinis, caponibus, perdicibus, phasianis, columbis, avibus nemoralibus.

Extre-

Extremitates auium & gallinarum Medici in hoc casu improbant. Item aues quæcũq; in locis palustrib. degunt. Abstineat à suilla, leporina, fungis, caulibus, leguminibus. Assæ carnes, quam elixæ conuenientiores sunt. Piscib. raro vtatur, & non nisi optimis & elixis. Abstineat à coctis cum butyro aut oleo, vel frixis. Nõ comedat piscium capita. Ouis sine butyro vtatur, & nullo modo cũ butyro conficiat. Vsum fructuum, & præsertim pomorũ plane S. M. vitet. Nec casei aut lactis usum probo. Denique, ut dixi, si fieri potest, in prãdio ferculo uno, aut altero ad summum ejusdẽ generis utatur. Fugiat acetosa, & evaporantia, ut allium, cepam, sinapi, tanquam certam perniciem. Potus sit cerevisia pura & defecata, aut hydromel Lithuanicum; quod fortasse minus molestum esset, si unum aut alterũ folium salviæ imponeretur, aut etiam cum illo decoqueretur. Vino prorsus abstinendum censeo; sed ventriculi causa concedendũ puto, vel panem ex optimo tritico confectum bene fermentatum intingat in malvaticum, non admodum potens, & sic in modum pastæ assumat. Hæc de victus ratione satis, præ-

ſertim cum de ea alij quoque Medici mônuerint. Quod ad medicamenta attinet, vellē ſi votis res ageretur M.D.nullis prorſus medicamentis,& præſertim purgantib. uti;ſed cum naturali calore debilitatio, & ratione aeris etiam in laudatiſſima victus ratione conſentaneum ſit in hoc corpore. partim crudos, partim aduſtos & bilioſos humores coacervari, qui non aliter q̄ medicamētis educi poſſunt, neceſſe eſt ut ſingulis menſibus bis expurgetur. Ad hunc uſum præſcripſi has pilulas, de quib. S.M. aſſumat ʒj.tribus horis ante prandium:

℞ Myrobal.citrin.ʒiij.
. Agaric.albiſſ.
Rhabarb.el.
Aloes opt.an.ʒij.
Maſtich.ʒj.

Aſpergantur decocto ivæ arthericæ & caryophyll.& cū ſyr. de cort. citri reformentur pro qualibet drachma pilulæ ſeptem. Sumat trib. horis ante prandium,& ſuperbibat aquæ betonicæ cum ſyr. de betonica cyathum. Quod ſi M.S. abhorret uſum pilularum, conſulo ut ſingulis menſibus bis hac hyeme,aut ſaltem ſemel utatur hoc infuſo ſenæ, quod ;

℞ Paſſu-

℞ Passular.enuclear. ℥j.
Galangæ.
Sem.anisi a. ʒj.
Decoq.in s.q. aquæ puræ,& in decocto macerentur per integram noctem:
Fol.senæ Alexandr.elect. ʒß.
Exprimantur fortiter,& ℞ hujus expressionis ℥ iiij.
Syr.de corticibus citri ʒv.
Misc.f.potus.

Sumat V.M.in aurora. Hoc infusum vestræ Magnificentiæ admodum utile futurum confido. Nam sena pituitosos & adustos humores educit ; & etiamsi aliquibus propter flatus est molesta:tamen quicquid sentiant alij Medici vētriculo innoxia.Hepar hoc modo&alia membra roborat,quia adstructionem quandam habet , proinde hujus infusi usum hac hyeme magis,q̄ pilularum probarem , præsertim cum audiam molestas fuisse alias pilulas , satis modeste & prudenter àMedico præscriptas. Cavendum,præsertim in præservatione , judico ab alijs medicamentis , quæ à longinquo, vel ad articulos humores trahunt , & eos valide commovent. Quia sæpe incautior

eorum

eorum usus paroxysmum adducit. Cæterum quemadmodum, Hippocrates & Galenus monent, annuas purgationes non possum non laudare, & etsi præsenti Medico corpus, prout tunc sese habuerit, inspicienti committendas puto; tamen & paucis sententiam meam exponam. Nam in vulgaribus confectionib. pharmacopolarum parum spei pono. Ineunte igitur vere vellem suam Magnificentiam per aliquot dies bibere syrupos hos:

℞ Aq. betonicæ ℥ iiij.
Syr. de betonica ℥ j. Misc.

Deinde præparato corpore utatur sua Magnificentia hoc decocto:

℞ Herbar. betonic.
Iuæ artheticæ.
Capillor. Veneris, a. M. j.
Stœchad. Arabic.
Saluiæ an. P. j.
Myrobalan. citrin. ʒ vj.
Passular. enucleat. ʒ x.
Polypodii quercin.
Liquiritiæ a. ℥ j.
Agaric. albis. ℥ ß.
Cortic. ellebor. nigr. ʒ j. ß.

Sem. citri.
Caryophyll.
Galangæ.
Sen. anis. an. ʒ j.
Epithymi Cretic.
Fol. senæ el. an. ℥ j. ß.
Rhabarb el. ʒ j.
Spicæ ʒ ß.

Decoq. l. a. in s. q. aquæ, iuæ artheticæ & fumariæ, id est, propemodum in libris tribus ad consumptionem medietatis, & myrobalani, sena, rhabarbarum, epithymum macerentur integrum diem naturalem secundum artem, & fortiter exprimantur, ac depuretur expressio, & servetur usui in loco frigido. De qua dentur ℥ iiij. cui adde syrupi rosati solutivi, de corticibus citri an. ℥ ß. Misce. & sic pro uno, & reliquis duobus. Bibat autem hoc decoctum ter aut quater alternis dieb. cum custodia diligēti. Quod si non fortiter educeret, singulis diebus bibere posset. Observentur autem infaustæ constellationes, & ne in lunæ coniunctione aut oppositione assumat. Quia verò concitati humores à medicamento purgante sæpe impetu quodam ad membra feruntur affe-

affecta, ideo consulo cum talibus purgationibus; vel etiam præscriptis pilulis sua Magnificentia utetur, ut fiat decoctum hoc:

℞ Absinthii.
Chamæmel.a.M.j.
Rosar.rubear. M.j.ß.
Salis ℥ij.

Bulliant in aqua ferrata ad consumptionẽ medietatis, in isto decocto madefiat pannus linteus; & applicetur locis affectis in manibus & pedibus die purgationis, & altero etiam post purgationem. Et cum deponitur iungantur locus affectus hoc unguento leviter:

℞ Ol.rosar.omphac.℔.ß.

In quo coquantur lumbrici terrestres numero quindecim, loti in vino, & coletur, colaturæ adde: salis ℥j. & terantur simul in mortario. Hac inunctione aliquot diebus sua Magnificentia utatur post purgationes. Etsi autem ab infuso senæ nihil est periculi; tamen utile est isto quoque unguento post infusum senæ inungere loca affecta. Missionem sanguinis licet Galenus in hoc morbo mirifice commendat, in libro de sectione venæ; tamen ego

de hac deliberandum esse sentio amplius, & prudenti Medico, & præsenti phlebotomiam committo, neque hic leges præscribo. Vomitus quantum scriptis omnium Medicorum commendetur in hoc morbo sciunt eruditi, & habet profecto magnam utilitatem, non solum ratione euacuationis crudorum humorum verumetiam diuersionis. Proinde si Magnificus Dominus in mense semel saltem possit vomere, utile hoc sanitati futurum esset. Rationes ciendi vomitus, multæ sunt, sed nõ omnes tutæ. Quo pacto verò ventriculus sit roborandus deinceps dicemus. Si Magnificus Dominus hæmorrhoidum beneficium possit cõsequi, vel natura, vel arte magnam id spem salutis ostenderet. Sed de hoc, & de cauteriis dicam in consilio, quod post vernum tempus sum daturus. Nunc de medicamentis alterantibus & roborantibus totum corpus, & eius partes meam sententiam explicabo. Primo pro roborando universo corpore, membris tam mandantibus, quam recipientibus, utatur Magnificus Dominus singulis diebus mane tribus vel quatuor horis prius quam

lecto

lecto surgat hoc electuario:

℞ Conser. Rosar.
Borragin. an. ℥j.
Anthos,
Salviæ,
Citri condit. an. ℥ß.
Theriac. præstantiss.
Mithridat. opt. an. ℥j.
Sem. citri.
Corall. præparat.
Margarit. præp. an. ℈ij.
Fol. auri num. v.

Misc. & cum syrupo de corticibus citri q. s. f. electuarium. Assumat autem ad magnitudinem castaneæ, vel nucis iuglandis parvæ, & si supervenerit sudor, sese in lecto contineat, & sudet. Non tamen consulo, ut singulis diebus sudet. Neque, ut arbitror, multum sudabit, cum natura non sit assueta hoc modo musculosas partes expurgare. Hora decubitus alternis diebus deglutiat Magnificus Dominus granum vnum thuris albissimi, aut hoc cum saccharo rosaceo commisceat. Mirifice enim prodest ventriculo & cerebro, ac in fluxionibus & catarrhis remedium est admodum

laudabile. Ad roborandum etiam cerebrũ & ventriculum, flatus discutiendos, & tardam coctionem, item oppilationes hepatis corrigendas, utatur trib horis post prandium, vel hora vna ante, rotula una de oleo anisi confecta. Et singulis diebus post assumptum cibum capiat cochleare plenum sequentis pulveris:

℞ Coriandri præparat. ℥ j. ß.
Panis albi tosti ℥ j.
Corallor. rubeor. præparat.
Margarit. præparat. an. ℈ ij.
Sacchar. albiss. ℔. ß. misc.

Hic prohibebit fumos, quibus repletur caput, & cibo in stomacho corruptionem, & coctionem iuvabit. Vt autem calor naturalis adiuvetur, & hoc quoq; modo cruditati, & tardæ coctioni resistamus, inungatur ventriculus hac hyeme singulis dieb. cum sua Magnificentia è lecto surgit hoc vnguento:

℞ Medullæ crurum vituli ℥ j.
Pul. mastich. ʒ j. ß.
Caryophyll.
Macis.
Lig. aloes an. ℈ ij.
Corallor. preparat. ℈ j.

Ol. ca-

Ol. caryophyllor. ℈ ß.

Specieb. diligentissime pulverisatis misc. Quod ad capitis roborationem particulatim attinet, proposui antea lotiones cum levi extersione. Consulo autem, ut cum lotionib. utitur, accipiat olei amygdalarum dulcium guttas decem, & his admisceat guttam olei caryopyllorum, ac caput inũgat. Quia valde cerebrum corroborat. Noćte autem hunc pulverem suturæ coronali super inspergat:

℞ Rosar. rubear.
Myrtillor.
Corallor. præpar. an. ʒ j.
Mastich. ℈ ß.
Misce f. pulvis.

Hoc remedio mirifice iuvantur, quib. fluxiones ad partes infeiores decumbunt, & caput debile est. Condito etiam macis sua Magnificentia pro roborando ventriculo & capite uti poterit. Hæc de alteratione & roboratione membrorum principalium satis, quæ si Magnificus Dominus adhibuerit diligenter, plus veræ utilitatis ex victus ratione vera, & ex medicamentis præscriptis, quam ex unctionibus aut ullis aliis

medicaminibus percipiet. Terebinthinæ & ivæ arthetica usus ratione morbi conveniens esset; sed propter ventriculum & caput reformido. Magnopere autem laudo Myrobalanorum conditorum usum. Nunc de tumorum, aut dolorum remediis pauca addam. Nam utinam non nimis multa remedia Dominum in præsentem calamitatem deduxissent. Si haberemus oleum ex ossibus humanis, & oleum ceræ ante ferrem hoc omnibus aliis medicamẽtis; sed cum nunc non sit in promptu, nec statim possit confici, alia remedia eligenda sunt. Consulo autem ut in isto itinere tumori, qui est in genu; hoc medicamentum quinq; diebus adhibeat. Accipiat vitellos ovorum sex coctos ad iustam duritiem, & addat croci ʒj. & commisceat, & tumori superimponat mane, & retineat quatuor vel quinq; horis. Cum sua Magnificentia venerit Cracoviam, utatur deinceps ad œdemata & tumores, tam in manibus, quam in pedibus hoc unguento;

℞ Pinguedinis Tauri ℥ij.
Salis ust. ℥j.
Ol. olivar. ʒvj.

Misc.

Misc. probe in mortario.

Hoc inungatur per plures dies, donec sua Magnificentia domum pervenerit, ubi ad removendos tophos in iuncturis hoc unguento utetur:

℞ Mucellagin. althææ.
Sem. lini.
Ol. chamæmel.
Pinguedin. anseris.
Oleum vulpin. in qua vulpecula viva sit cocta.
Ol. lumbricorum terrestr. an. ℥ ß.
Salis triti ʒ ij.
Croci ℈ j.

Misce f. unguentum molle, quo iuncturæ inungantur, & semper inspergatur pulvis lumbricorum terrestrium locorum in vino & combustorum. Hæc satis de localibus. Nam plura scribemus in cõsilio, quod Deo iuvante, deinceps Magnifico & Generoso Domino Palatino sum daturus. Unum addam à veteribus Medicis excogitatum medicamentum, quo arthriticos sanari posse affirmant, si per integrum annum eius usus continuetur, vel ut mense Ianuario assumatur ad ℈ ij. per quinq; dies.

In

In Februario totidem & tantundem. In Martio per duos dies eandem quātitatem assumat. In Maio tribus diebus. In Iunio uno solo die. In Iulio duobus. In Augusto uno. Septembri duobus. Octobri duobus. Decembri duobus. Ita tamen ut præscriptam rationem victus servet. Sumat autem in diluculo in aqua iuæ artheticæ, vel betonicę, cum syrupo de iua arthetica, vel betonica. Descriptio pulveris hæc est:

℞ Aristoloch. ℥ j.
Centaurij ʒ iij.
Gentianæ ʒ vj.
Mei ʒ v.
Hyperic. ʒ vj.
Petrosel. Macedon. ℥ ß.
Agaric. albiss. ʒ ij.
Rhapontic. veri, de rhabarbar. el. si Rhaponticum non habetur, ʒ j.

Ex his omnibus fiat pulviscūm summa diligentia. Hoc remedium, ut dixi, est veterum Medicorum, & à multis, ubi alia remedia non contulerunt, expertum. Quod ego, qui veterum inuenta amo & veneror, non improbo, atque eius usum vestræ Magnificentiæ commendo; sed ita ut aliorum

quoq;

quoq; Medicorum eruditorum, & recte ac candide iudicantium sentẽtias audiat, quorum iudicio, & hoc meum consilium subiicio. Deum autem fontem vitæ, & sanitatis oro, ut Magnificum virum clementer respiciat, & huic meæ curationi benignitate sua successum felicem reddat.

CONSILIUM XVI.

In Podagra pro quodam Generoso Domino.

Cum de eo, quod vere cognoscit Medicus, cõsilii sui rationes recte exponere possi; miror mihi initio tenebras quasi obiici, cum perscribitur inunctionibus chymicis longo tempore illustrem Dominum usum, & silentio causæ, quibus malæ qualitates sint inductæ, prætereundæ videntur. Certe cum consilium à me expetatur, inprimis de his me moneri oportebat; sed ut ut sit, ne officio meo defuisse videar, simpliciter sententiam meam exponam. Initio autem hoc affirmo, me inunctiones chymicas toto pectore aversari, idque istis rationibus adductum facere; primum, quia eiusmodi medicamenta calori natu-

naturali non ſunt proportionata, itaque ut vim adferant naturæ, vel eam lædant neceſſe eſt. Secundo, quod ſulphur & mercurius metallicorum nulla arte ita plane corrigitur, ut naturæ conveniēs reddi poſſit. Poſtremo, quod violentum naturæ inimicum ſit, neq; Medico, qui naturæ ſubſervire debet, uſurpandum. Quod verò ad cauteria attinet; cum materiam Medici non tenuem tantum, ſed mixtam, craſſam atque falſam eſſe fateantur, quid iis proficimus? Pauca materia, eaq; tenuis per fonticulos iſtos, ut appellant, euacuatur; cum iſta Podagrici maxime abundēt, imo craſſa materia Podagram gignere non poſſit; niſi tenuis illa, & ſeroſa, tanquam vehiculum adſit, & inflammationem excitet. Hoc verò ſi tota per cauteria poſſet euacuari, nihil convenientius Podagricis eſſet cauteriis ſeu fonticulis iſtis iudicarem. Verum cum videamus quam exigua pars effluat, atque illud, quod effluit, non tam ad curationem, quàm præcautionem morbi faciat, quorſum propter parvum atq; incertum commodum magna incommoda ſubeunda. Multis enim exemplis erudimur,

quam

quam minime tuto cauteria, præsertim in pedibus, atq; hoc nostro Germanico aere, adhibeantur. Et dum propter aeris Germanici intemperiem, & frigiditatem clauduntur, quam subito mors consequatur? Possem aliquot recitare clarissimis Medicis non ignota exempla, si necesse esset. Sed facesse fonticulos istos non ratione podagræ, sed sanandorum vlcerum fieri. Si hoc quærimus, vel diversionis, vel derivationis finem spectamus. Eam autẽ quomodo consequi liceat, si ad membrum affectum materia trahatur & deducatur, Medici viderint. Non libet in hanc sententiam scribere plura. Cum autem corrupti humoris sero si & salsi remotio è corpore manifeste nobis indicetur; eas vias, quas natura demonstrat, persequamur. Primum igitur optima victus ratio præscribatur, deinde, mixti, crassi, atque maligni humores præparentur, pręparatiq; evacuentur. Pręparari poterunt decocto cardui benedicti, educi atque euacuari agarico. Nam simplicissimis medicamentis utendum censeo. Hoc modo crassioribus humoribus è corpore remotis, propinandum ad summum

mum viginti quinque, vel triginta diebus decoctum sarsæ pariglia: ita ut in octo libris aquæ duæ vel tres (siquidem sarsa pariglia non sit recens & bona) unciæ decoquantur. Sumat autem octo primis diebus tantum unum haustum sudoriferum matutine, deinde decem diebus bis in die bibat atque sudet. Ad extremum rursus uno die semel tantum utatur. Aeri se non exponat; & abstinendis abstineat. Rectam victus rationem observet non modo in curatione; verumetiam post curationem. Pro potu utatur secundo decocto, in quo radices eryngii admisceantur, ut serosis humoribus per vias etiam urinæ exitus patefiat. Scimus quantum sarsæ usus in periculosissimorum ulcerum curatione prosit.

Caput autem & summam curationis podagræ esse statuo: efficere ut corpus serosis humoribus vacet. Rationes sæpe Medicis à me sunt ostensæ, nec hoc loco referendæ. Si tamen hac curatione serosi humores exhauriri, exulceratæ partes curari & roborari non possent, aliud consilium de thermis Landecensibus in promptu esset. Quæ profecto, si tempestive à moderatis homi-

hominibus (quis enim immoderatos & intẽperantes curet) adhibeantur plurimum momenti in cura podagræ, modo moribus ſit curabilis afferunt. Sed de thermis alio tempore agemus. Illud nunc moneo, cum materia ſalſa & acris graves dolores in partibus quas exulcerat, inducat, ut ad contemperandum & leniendum illam pulmẽtum ex radicibus altheæ in pulverem redactis, atq; in lacte decoctis loco affecto, & dolenti adhibeatur. Quantum hoc cataplaſma valeat, tres, ut ſpero, oſtendet. A benigniſſimo autem Deo, qui ſolus ſanat & curat, benigne hoc fortunari opto.

CONSILIUM XVII.

In Podagrico dolore pro quodam Magnifico Viro:

In Podagrico dolore, duo præcipue cõſideranda ſunt. Fluxio & materia fluens, atq; membrorum ſeu pedem imbecillitas. Materia fluens in hoc corpore præcipue à capite deſcendit, eſtque frigida, ſeroſis humoribus commiſta. Ii ne immodice in hoc

cor-

corpore augeantur, recta victus ratione, capitis tempestiva lotione & sudore præcavendum. Ad victus rationem q; attinet, velim simplicissimam eam esse, pisces, cancros, lacticinia, cruda omnia à mēsa removeri, distincta spatia prandii atq; cœnæ observari. Cœnam parcissimam esse, pomeridianum somnum caveri, neq; cubitum, nisi duabus horis post cœnam ire, à potu, remota mensa abstinere, neque unquam, nisi dum cibum sumit bibere. A vino forti sibi temperare. Rhenanum purum conuenientissimum erit. Ab Vngarico & Austriaco, dulcibus etiam omnibus & impuris cavere. Vina medicata ex carduo benedicto, vel betonica prosunt. Balnea, equitationes, concubitum frequentem plurimum nocere omnibus notum est. Proinde & Poetæ fabulantur, ex Bacchi atq; Veneris concubitu natam Podagram, significantes ebrietatem & venereorum usum inprimis Podagram procreare. Sudor matutinis in lecto utilissimus est, ac si ad eum se assuefecerit, haud dubie commodum percipiet. Caput in septimana bis vel ter ante cœnam abluat, & in lixivio polytri-

chum

chum herbam decoquat,&sapone tali utatur:

Saponis Veneti ℔.j.
Santal.citrini.
Rad.ireos a.ʒj.ß.
Caryophyllor.ʒj.
Ambræ g. vj.

Dissolvatur sapo aqua rosarum, & admisceantur species, ac stent in loco calido, reformentur globi. Post capitis lotionem aeri se non exponat, sed intra conclave detineatu. In hyeme utatur interdum Theriaca, vel Mithridatica antidoto ad magnitudinem avellanæ, mane ante sudorem in lecto. Vere autem, æstate & autumno sumat hunc pulverem:

℞ Cornu cervi crudi ℥j.
Cornu cervi usti.
Rasuræ eboris a.℥ß.
Ossium de crure bovino ʒij.
Corall. rubeor.
alborum.an.ʒj.
Cinnamom.el.ʒj.ß.
Sacch.albiss.℥ij.Misc.f.pulvis.

De hoc accipiat quãtum cochleare potest capere horis tribus ante prandium. Ab-

ſumunt enim iſti pulueres ſuperfluos humores,qui fluxionum ſunt materia. Ad roborandos pedes quod attinet, etſi ita eorũ robur exhauſtum videatur, ut reſtitui vix poſſit:tamen conandum eſt. Primum igitur hoc foměto utatur, accipiat origanum, artemiſiam,agrimoniam, & betonicam,ac decoqui iubeat. Hoc decoctum calide iniiciatur vaſi idoneo, & pedibus panno ſimplici primum contectis, excipiatur fumus, deinde pannus duplicetur, & magis magiſque contegatur,ſudor abſtergatur. Rurſus ſilices igniti iniiciantur, & ſudet per dimidiam horam. Hoc fiat matutine cum lecto ſurrexerit per aliquot dies; maxime verò cum dolores remiſerint. Nam præſentibus doloribus hoc fieri nequit. Poſt fomentum illud inungantur pedes aqua è vitulino hepate cum ſalvia deſtillata. Eſt aliorum quoque deſtillatorum, & unguentorum uſus; verum cum res declaret, minime bono ſucceſſu iſta adhiberi, abſtinendum cenſeo. Pedes non lavet; ſed ex decocto origani, & agrimoniæ in vino adiecto ſale, cum ſpongia vel linteo mundet, idque ſæpe faciat. Dolores cum tolerabiles ſint, medi-

medicamenta quibus in paroxyſmis utendum ſit non prçſcribo. Aqua è floribus verbaſci, in quibus flores verbaſci æſtivis diebus macerentur in ſole tutiſſimum remedium ad ſedandos dolores, ſi linteola ea imbuta loco dolenti applicentur; puto. In principio quidem folia roſarum rubearum ſicca, & raſura cornu cervi in aqua iſta ligata in petia, & expreſſa imponi poſſunt, ita ut vi aſtrictoria affluxus prohibeatur.

Deinde ut citius ad ſtatum inflammatio perveniat. Aquæ verbaſci parum myrthæ addatur. Plura remedia non præſcribo. Hçc verò ut à benigniſſimo Deo fortunentur opto.

CONSILIUM XVIII.

In Quartana pro quodam Nobili.

Hanc febrim eſſe à craſſo humore conſtat, undecunq; craſſitiem habuerit. Galenus 13. Method. & in lib. de tumoribus ait, craſſos humores, vel à ſanguinis fece, vel à pituita oriri. Itaque quartanam à pituitoſis humoribus feculento ſanguine mixtis naſci poſſe ſtatuo. In hac quoque ſententia eſt Galenus 2. de criſibus, ubi

pituitam crassa sua consistentia naturam humoris Melancholici referre ostendit. Sed venio ad quæstiones. I. An exquisitior evacuatio hoc anni tempore sit adhibenda? Respondeo, concocta medicanda esse ait Hippocrates. Cum autem hic morbus longus sit, & concoctio tarda, nihil aliud est intempestive in hoc morbo purgare, quam vires ventriculi imminuere, humores turbare, ex crassis crassiores, & ex longo longiorem efficere. Nunquam purgandus Melancholicus humor, nisi prius educta pituita. Ideo laudatur vomitus. Hic clysteria sola sufficiunt, nec debilis ventriculus affligendus. Si omnino purgans dandum, darem trochiscatum Agaricum; sed prius aliquot diebus decoctum raparum cum sacchari drachma una, & parum Zinziberis, vel integra grana piperis. Ad II. De Theriaca danda assentior: sed leviora prius darem, Nucleos persicorum quinq; vel sex, & cochleare unum syrupi de succo melissæ, vel haustum aquæ melissæ probe destillatæ, deinde ad Theriacam venirem. III. De Melanagogo dando in hac imbecillitatem ambigo. Medicus enim

Chri-

Christianus tuto debet mederi. IV. De venæ sectione. Afferunt Practici experientiam. Ego, nisi insignis sit cruditas, non repugno. V. Si hæmorrhoides recte possunt aperiri, & indicia apparent tumoris, plane placeret mihi, hoc præsertim tempore. Acidularum usus spleni prodest, & splenis affectio quartanæ curationem facit difficiliorem. Probo tamen ut viscerum robur per olea & fomenta convenientia roboretur. Ita enim facilius curatur, nutritur, dormit. Affectiones animi cavendæ. Inunctiones spinæ dorsi in rigoribus probantur, & veteribus Medicis in usu fuere.

CONSILIUM XIX.

In quartana pro alio quodam viro Nobili.

Quartanas tutas esse etiam plebeis notum est; verum non tractandæ inclementius, ne alius morbus accedat, & diuturnitate vires frangat. Itaq; ut in aliis morbis longis, victus ratio tenenda, quæ robur nō diminuat, nec ut vulgus putat, in abstinentia spes curationis ponenda. Abstinendum

à salsis, & maceratis carnibus bovinis, cervinis, suillis, piscibus, anguillis, carpionibus, saxatiles cum aromate concedo. Non lacticinia, & acetosa. Comedat carnes assas & elixas. Meliora semper præcedant, ut endivia, lactuca, atriplex Romana, id est, spinachia cũ uvis passis cocta. Cruda quoque in mensa vitet. Die paroxysmi ante paroxysmum, cum nunc matutini sint, non edat, à paroxysmo edat. In longis enim morbis virium robur præcipuam spem curationis facit. Potus, vinum Rhenanum, vel Neccarinum, modo non acidum. Non cerevisia cruda & flatulenta. Hordeaceæ defecatæ prosunt. Somno nihil detrahendum, modo ne sit paroxysmus, vel instet. In remissione non est noxius. Nunquam dormiat apertis fenestris. Cum abest febris exerceatur, non defatigetur. Vires si debent conservari, venus debilitans caput & ventriculum vitetur. Cæterum cum solida & carnes hic diminuantur, prodest die paroxysmum sequente in labro aquæ dulcis ex flumine haustæ lavare, non tamen sit nimis calida, & totum corpus hoc unguento inungere:

℞ Ol.

℞ Ol.amygd.dulç.rec. expreſſ.℥iv.
Succi artemiſiæ expreſſ.℥ij.
Coquantur ſimul, & dentur in vitro.
Quotidie habeat beneficium ventris, & à medicamẽtis purgantibus vehementibus, etiam roborantibus calidioribus abſtineat.
Aluum moneat hac potione:
℞ Paſſular minor.ʒv.
Flor.borrag.
Violarum an. P.j.
Herb. ceterach.
Epithymi a.ʒiij.
Folior. ſenæ ſelect.ʒvj.
Decoq.l. a. in ſ. q. aquæ puræ, colaturæ ℞ ℥iv.his add.
Syr.roſat.ſolut. vel de violis ſolut.℥j.
Mannæ el.ʒvj.
Syrupi conſervat. Zinziber. parum.
Miſc.
Prodeſt etiam orbiculum unum cum extracto Rhabarbari aſſumere. Ad præparationem humorum nihil melius decocto raparum, & uſu nucleorum perſicorum. Ad ſymptomata. Quartana laborantes affecto ſunt ſplene, etiamſi non ſentiant. Vngatur igitur ſplen hoc unguento:

℞ Ol.amygd.dulc.rec.℥ iij.
Succi veronic.℥ j.ß.
Succi cæpar.ʒ ij.
Cortic.radic.capp.ʒ. j.ß.
Coquantur diligenter & exprimantur, & colaturæ add.
Axungiæ gallin ℥ j.& misc.
Epati admoueatur sacculus ex furfuribus hordei aqua ista asperſa:
℞ Aq.Taraxacon.
Vermicular.an. ℔.j.
Aceti rosac.℥ j.
Sp.pro epithemate hepatis ʒ ij. Misc.
Vbi calores febriles intensi, fiant duo sacculi ex furfuribus hordei & dorso applicētur, & permutentur. Et quia sudor & calor post febrem molestus, & vires frangit, spina dorsi hoc unguento ungatur à paroxysmo:
℞ Ol.Violar.
Nympheæ.
Lactis muliebr.an.℥ j.Misc.
Ante paroxysmum bibat poculum aquæ melissæ, in qua parum conservæ borraginis maceratum sit.

CONSILIUM XX.
De præservatione à morbis pestilentibus.

Requiritur à me ut paucis describam rationem præseruandi à morbis pestilentibus, id ut faciam singularia humanitatis officia requirunt. Tota autem præservationis ratio, cum in vitatione causæ versetur, primum generales causæ distinguendæ sunt. Est autem generalissima aer, atq; ab eo veræ pestilentiæ, quas nos publicas appellamus, proveniunt. Minus generales sunt, corrupti cibi, & ea quæ humores in corporibus vitiant, atque impura reddunt. Vnde privati morbi pestiferi oriuntur, qui tamen publici fieri possunt, si putredo ad eum gradum perveniat, ut morbidam expirationem habeat. Sed de his agere non necesse est. Nam eiusmodi privati pestilentes morbi facile possunt præcaveri, si corpora sint pura, & recta victus ratio adhibeatur. Publicas autem pestes, quæ plerunq; bubonibus, vel carbunculis sunt insignitæ, ut quarum seminaria in aere continentur, non alia ratione melius vitamus,

tamus, quam aeris mũtatione, ita ut de impuro aere in puriorem nos conferamus. Id si facere non conceditur, hæc quatuor observemus necesse est: primo, ut aer nõ modo à putridis vaporibus, verum à seminariis etiam pestis diligentissime perpugetur. Secundo, ut opera detur, quo corpus excrementis vacet. Tertio, ut cor adversus præponentem causam, & inspirationem seminariorum muniatur. Quarto, ne ulla putrefactioni humorum in corpore causa detur.

DE PRIMO: Aer non melius purgatur, quam ventilatione & igne. Proinde si à locis salubribus flant venti, ii admittendi. Si seminaria eos flatus continere suspicio est, hoc est, si ex ea parte, in qua plurimi laborant, spirant, aditu prohibendi. Ignes aut accendere, maxime ex iuniperi ligno, item rorismarino, & aliis redolentib. vulgo etiã notum. In æstate foliis vitis, salicis, violarũ, cydoniorum conclave ædium, in quo habitamus, inspergendum. Hyeme suffitu utendum ex contusis baccis iuniperi cum pulvere succini. Possunt & orbiculi redolentes manibus admoveri hoc modo:

℞ Cortic. citri.

San-

Santalor.
Ligni aloes an. ℥ ß.
Storac. calamit.
Ladani an. ʒ j.
Galliæ Muſcat.
Aliptæ Muſcat. an ℈ ß.
Ambræ gryſ. g. iij.

Miſc. & cum mucillag Tragac. f. orbic. Quam minime in publicum ꝓdeat, & cum exeundum eſt, antidotũ, de quo tertio loco dicemus, ſumat, & corticẽ citri, vel angelicam in aceto præparatam in ore geſtet.

De Secundo: Nihil poſſumus præſcribere de extrementorum evacuatione. Sed hac in parte Medici præſentis opera utendum. Cæterum hoc monemus, excrementorum proventum cavendi non meliorem, neq; tutiorem rationẽ eſſe, q̃ ſi recta victus ratione utamur, & operã demus ne corpus repleatur etiam boni ſucci cibis, mali verò ſucci omnes amoveamus; varietatẽ ciborum caveamus. Quæ aſſumuntur ea aceto, ſucco limonum ſint condita. Inſpergatur etiam cibo cornu cervi in pulverẽ redactũ cum cinamomo, pulvere tormentillæ, & hora una ante cœnam aſſumantur iſtæ pilu-

pilulæ bis vel ter in ſeptimana:

℞ Aloes roſac. ℥ß.
Myrrhæ ʒ ij.
Croci ʒ j.
Ambræ gryſ. ℈ß.

Cum ſyrupo de cortic. citri reformentur pilulæ mediocres, de his accipiat drachmā dimidiam.

DE TERTIO: Eorum quæ cor roborant, & adverſus præpotentē cauſam tuentur, omnes vulgares libelli ſunt pleni. Veram autem peſtis antidoton ſoli Deo notām non eſt dubium. Itaq; divinum auxilium præcipue implorandum. Ego ad præſervationem inprimis utile puto electuarium de nucibus, hoc modo factum:

℞ Nucum iugland. num. xx.
Caricar. pinguium num. xv.
Rad. tormentill.
Pimpinell.
Baccarum lauri. an. ʒ ij. ß.
Cortic. citri.
Galangæ.
Macis in aceto præpar. a. ʒ j. ß.
Fol abſinthii.
Rutæ.

Sca-

Scabioſæ a. M.j.
Flor.borrag. M.ß.
Cornu.cerui.
Boli armen.
Terræ ſigillat.a.ʒ ij.
Myrrhæ el.ʒ j.
Croci ʒ ß.

Cum ℔ ij.mellis deſpumati f.electuarium, de quo ſumatur mane, vel cum in publicũ prodit ad magnitudinem caſtaneæ. Sunt & alia multa. Verum ſi interdum, ne uni medicamento aſſueſcat natura, variandum eſt, conſulo, ut Theriaca bona, vel Mithridatica antidotus ſumatur, vel hoc electuarium:

℞ Radic. verbaſci.
Tormentill.an.ʒ iij.
Sem.citri ʒ ij.
Succi verbenæ.
Meliſſ.
Cardui bened.a.℥ j.

Sacch.in aq.meliſſæ diſſol. coq. lento igne, & f. electuariũ, accipiat cochleare paruum.

DE QUARTO: A putredine præſeruant ea omnia, quæ prius dicta ſunt. Maxime verò creber uſus pilularũ ſupra deſcriptarum.

ptárum. Item pulvis cornu cervi ſæpè aſſumptus, terra ſigillata, bolus armena, moderatus ſudor matutinus, & qui corpus pſpirabile reddat, ſi bene extergatur. Maxime verò potus vini puri cum foliis cardui benedicti. Hæc autem omnia, ut à præpotenti Deo benignè fortunentur, precor.

CONSILIVM XXI.

In rubore faciei post cœnam cum ſudore pro quodam Nobili Viro:

Rationali Medico ſymptomata oblata, & quaſi in oculos incurrentia ad ſuas cauſas deducenda ſunt, & videndum an cauſa rationem morbi habeat, & quid primo, ac per ſe actionem lædat. Nam ſin ulla actio, ut in hoc caſu, qui modo proponitur, lædatur, nec morbum adeſſe, nec curationem requiri certum eſt. Verum cum præcautioni in inchoantibus malis opera danda ſit, & illius modus in hac præternaturali affectione à nobis requiratur Methodica via ea inquirenda eſt. Rubet poſt cœnam facies, interdum ſudor conſequitur. Hæc itaq; conſideranda, & primum cum in corpore nihil abſq; aliqua cauſa accidit, ea inquirenda. Ruborem à ſanguine eſſe, nullus

lus enim humor præter hunc rubet, constat. Sudorē verò ab humidi copia, utrunq; verò ab impellente. Impellunt autem vel spiritus, vel vapores, neq; facile impellunt, nisi plenitudo adsit. Consequitur igitur ex methodica ratione multitudinem sanguinis esse minuendam. Deinde ne impellentia impetum faciant cohibenda. Ad primum, ne nimium redundet sanguis, vel victus ratione, vel detractione illius efficiemus. Victus igitur ratio eiusmodi instituenda, quæ copiam minuat, nec ut perscribitur gallinis perpetuo vescendum, vel vinum, præsertim potens atq; fumosum, vel crudum, quod in hypochondriis hæret, bibendum. Imo dum hæc affectio durat in cœna à carnibus prorsus abstinendum, & hordeo probe cocto, atque similibus cibis; qui neque copiam sanguinis augeant, neque multos vapores ad caput transmittant, utendum. Vini etiam unico haustu contentus sit in cœna, & ad sitim explendam cerevisiam puram, & quæ vaporibus caput non repleat, minimumque lupuli habeat, addat. Scio hic ad pauca respicientes posse reclamare; verum quantum

tum in corporibus consuetudo valeat videndúm. In prandio verò prolixius carnibus & vino viti poterit, ita tamen ne perpetuo gallinaceas carnes, aut similes, sed interdum duriores, & quæ minus tenuem sanguinem generant, comedat. De sanguinis verò detractione præsenti Medico observandum, an ita abundet, vt ex magnis venis vacuandus sit, an verò alia missioni sanguinis obstent. Quin per cucurbitulas detrahēdus videatur nullum esse dubium arbitor, itaq; suo tempore cucurbitulæ adhibendæ. Deinde ad alterum scopum, videlicet, ne vapores impellentes humores ad caput, & universum corpus detrudantur, & ruborem ac sudorem concitēt actio Medici intendenda. Etsi verò sublata multitudine hoc non fieri posse existimē, præsertim cum vapores, non tam à ventriculo, quam universo corporis habitu ad caput devehantur; tamen & in eo laborandum, ut vaporibus resistamus. Cum verò ab universo corporis habitu feruntur, inprimis victus ratione, quæ massæ sanguineæ subveniat hoc præcavendum. Ventriculo ea, quæ ad complexum cibi, quem vul-

vulgo occlusionem stomachi vocant, faciunt administranda. Deinde ne caput atq; cerebrum incalescat, & ut Hippocrat. loquitur, tanquam cucurbita ad se vapores trahat videndum. Itaque præclare Celsus monet, quibus caput infirmum est, iis ne cogitationem quidem à cibo tutam. Omittat igitur serias cogitationes omnes, & iucunda atque grata post cœnam agat. Medicus autem ea, quæ ad id faciunt, ut ventriculus roboretur, & cibum amplectatur, (ea autem siccandi vim habere absq; calefactione oportet) præscribat. Peritus, & usu artis præditus ex ea sylva, quæ magna est, facile materiam, observatis iis, quæ in præcautione observanda sunt inveniet. Faciat Deus, ut quod est optimum ac saluberrimum eligat. Nam ego mihi partes docendi doctiores non sumo.

CONSILIVM XXII.

In febri intermittente pro quodam Nobili Puero.

In pueris febres intermittentes, præsertim tertianæ minus quidem periculosæ censentur; sed si diutius perseverent, gra-

uius afficiunt calorem innatum, & membra nutritioni servientia. Itaque ubi natura non potest eas superare, ad tuta medicamenta confugiendum. Est autem in hoc puero cum bilioso humore plurimum pituitæ, cum febris tam diu duret. Eius proventus victu vitetur, deinde humor tollatur. Non lacticinia, nec pinguia edat, nec in calore edat, nec nimium edat. Ad purgandum velim enema, cum pueris non tuto per os dentur. Vt autem membris naturalibus succurratur, potest post evacuationem dari in potu absinthium ponticum, vel ungatur hoc unguento ventriculus:

℞ Ol. amygd. dul. rec. ℥ iij.
Comar. absinth. pontic. M j.
Rosar. rubear. P. j.
Caryophyllor ℈ ß.

Decoq. affusa ℥ j. vini, ad vini consumptionem, & addatur:

Aloes optim. ʒ j. ß.
Mastich. ʒ ß.
Ceræ parum, Misc. f. unguent.

Hypochondria autem oleo chamæmelino quotidie mane foveantur. Si calore graviores sunt, fiant sacculi furfuribus hordeaceis

deaceis impleti, dorso supponantur, vel potent illa herba sale aspersa & aceto soleis pedum, & arteriis etiam apponatur.

CONSILIVM XXIII.

In Tumore in genu post febrim pro puero nobili duodecim annorum.

Nihil me consilio accuratissima diligentia scripto addere posse; vel debere, vero animi iudicio statuo. Vt autem morem geram iis, quorum autoritatem defugere non debeo: Casum per difficilem esse fateor; & oculis quam calamo uti mallem. Describitur hic puer duodecim annorum, temperamento humido & frigido. Cum enim non sit alacris; sed potius segnis, cor minime calidum; cum decolor, & subtumidus, iecur frigidus; cum somnolentus & catarrhosus, cerebrum haud dubie humidijs. Ex harum autem principum partium constitutione de totius corporis temperamento, iudicium facere, Medicis est constitutum. In hoc igitur phlegmatico habitu, non mirum extitisse febrē difficilem & contumacem, ac catarrhis, tussi, & sopori coniunctam. Abundarunt enim humiditates, nec facile potuerunt à natura

evinci. Itaq; ex earum corruptione & putredine febris haud dubie originem duxit, quæ & suo calore has exagitavit, & partim in vapores redegit, quorum mole cerebrũ pergravatum, ibi deniq; rursus condensatis in fauces & pulmonem delapsis catarrhum & tussim excitavit. Porrò febris vegetativam facultatem, non satis validam, magis debilitavit, ut malorum humorum maior fieret proventus. Non mirum igitur si obortus est tumor in genu post febrim, quemadmodum Galen. comment. ad sententiam 1. sectionis 4. 6. Epidem. ostendit. Laxa est enim illa iunctura, & humorum capax, quorum onus natura à visceribus protrudens facile in declivem locum devolvit, præsertim aliqua occasione vehementioris cursus, aut deambulationis calefactum. Existimo verò consecutum œdema erysipelatodes. Itaque purgationem serosorum & pituitosorum humorũ, diætam exiccantem, viscerumq; vegetabilium, hepatis inprimis corroborationem comprobo, quamvis nihil speciatim explicetur, præter pultem ex pulpa panis albi, rosis, oleo chamomælino, croco & lacte

caprino paratam, quæ cur fuerit adhibita non satis assequor. Si adfuisset dolor, qui perexiguus scribitur fuisse, huius causa potuisset, ut ἀνώδυνον applicari. Si causa suppurationis, differendum fuisse existimo. Prius enim tentanda est resolutio tumoris, quę si non possit sperari, ad supputationem deveniendum. Resolvere autem tumorem ista puls non potuit. Non enim eo calore, eaque facultate attenuandi & penetrandi prædita est, ut possit frigidos, serosos, & phlegmaticos humores, præsertim densis membranis, tendinibus, ligamentis, & amplæ ossium articulationi penitus impactos, in exhalationem convertere, evocare & discutere. Quare Galenus, Aetius, & ex recentioribus Vigo, in huiusmodi tumoribus adhibent potentius cataplasma ex stercore caprino, columbino, & similibus rebus cum posca aut lixivio incorporatis. Immò puls illa mihi vix satis fuisse videtur ad suppurationem inducendam. Nam hanc perficit calor concoquens, qui nō magnus est in partibus osseis, nervosis, membranosis, & præsertim ab humorum frigidorū mole obsessis. Augeri igitur hunc oportet, ut ro-

borata pars possit illapsos humores satis valido calore subigere. Aquosa materia, & non nihil sanguinolenta, quæ ex loco aperto effluxit, non ostendit suppurationem factam. Nullum enim signum coctionis. Existimo illam potius copia sua exuberasse, & decubuisse nonnihil in suram, & acredine sua euasisse. Assentior quidem fuisse apostema quasi criticum, quod foverit cerebri, iecoris, & loci affecti intemperies, sed copia affluentis serosi humoris paucorum exemplorum res est. Narravit mihi hic D. Abrahamus, paucis ab hinc annis duos se vidisse, qui cum ad articulum læsi fuissent, prope exanimati fuerint ex effreni fluxu aquæ articulorum, quam vocant, Glieds wasser. Equidem scio læsis ligamentis, chordis, ossibus, magna copia serosam materiam effluere, quæ chirurgo solet in cæcis sinubus illorum corruptionem aut læsionem prodere. Atq; eam ob rem Galenus 3. de composit. medic. secundum genera, in vulneribus nervosarum partium adhibet medicamentum ex euphorbio vehemẽter exiccans, quod memini feliciter usurpari in sauciato genu, cum vulnus ex affluxu istius

aquei

aquei humoris pessime se haberet. Cur salsæ decoctum & thermæ nõ profuerint, veram causam Dominus Doctor assignat, ꝙ multa materia putrida in occultis sinubus retenta perederit membrum ad os usque. Non potest enim sperari sanatio, nisi auferatur os, & quicquid corruptũ est, ad quod præstandum non satis fuerunt salsæ decoctum & thermæ. Cum autẽ nonnihil exiccarint, factum est, ut affluens humor induruerit, atque in carnam flaccidam abierit. Recte cerebri & hepatis fuit habita ratio in victu & medicamentis, Bene etiam factum, quod liquores mundificantes, & abstergentes fuerint siphone infusi, & foris etiam puluilli imbuti decoctione rerum metallicarum appositi, ad prohibendam maiorem putredinẽ, quæ omnia, licet speciatim non indicentur, credo tamen fuisse ad rem accommodata. Decoctum apii in vino & aqua bis quotidie exhibitum, non fuit male excogitum ad expurganda ulcera, & serosorum humorum per urinam diversionem. Sed metuo, cum apium sit ex diureticis, quæ sanguinem attenuant, fluidumq; reddunt, & ab eo serum separant,

ne impetum seroſorum humorum ad locũ affectum parum inhibuerit. Cauſam fruſtrati effectus non colloco in imbecillitate medicamentorum; ſed in abditis & inacceſſis ſinubus ulcerum, in quibus retenta ſanies, ac propterea habitum, & integritatem partis magis magisq; corrumpens, non potuit repurgari. Quare bono conſilio ſinus fuit reſciſſus, ut liber eſſet ſaniei effluxus, & ad applicanda idonea remedia, (hoc eſt, quæ carnem flaccidam abſumerent, ſaniem repurgarent, & aſperum os corrigerent) facultas. Quod ſi ne ſic quidem malum vinci poſſit, laudo potionem vulnerariam, quæ ſæpe mirum in modum ulcerum ſ rditiem, & ſquamas oſſium corruptorum eliminat. Probo etiam lotionem pedis ex Maſtiche, thure, ſulphure, ſale, alumine, in lixivio & vino decoctis. Oleum vitrioli aut ſulphuris, vel deniq; cauteriũ actuale ſuccedunt pulveribus catagmaticis, qui os corruptum tollere non potuerunt. Ac poſtremum refugium eſt ſuffitus. Sed metuo ne malum vires nimias acquiſiverit, cum diutius imbecilliora medicamenta in graviſſimo morbo ſint adhibita. Mihi enim mini-

minime dubium videtur ſubeſſe magnam oſſium cariem, pluresque ſinus, ex quibus compreſſis ſanies effluit, quæ retenta madore ſuo os inficit. Sed poteſt fieri,ut errẽ, & errare me opto. Hoc verò pro certo habeo, non poſſe ulcus cum corruptione oſſis cõiunctum prius ſanari, quam hæc auferatur, vel pulveribus catagmaticis, vel oleo vitrioli,vel cauterio, vel denique ferro. Cum verò caro interiecta ſit, ab huius reſectione, in pueris præſertim, merito abhorremus. Interea autem malum eundo vires acquirit. Suffitũ metuo, & quod malignitatem habeat, qua poſſit puer lædi, & ꝙ materiam cõmoveat ſurſum in pulmonẽ & fauces.Meum cõſilium eſt,ut chirurgus diligenter quærat foramina in quæ per fiſtulam cauterium immittat abſq; læſione & dolore vicinarum partium, ubi nimirum os corruptum & perioſteo nudatum cognoverit. Etſi enim totum os corruptum non aduratur; tamen aliquibus locis inuſtum in ſe contrahitur,& quaſi corrugatur, atq; ſecum aufert reliquas partes corruptas non aduſtas. Poſtremo non poſſum non monere ex Galeno comment. ad ſentent.
Epi.

Epi. sect. 2. prognostic. Abscessus huiusmodi in genua fere adferre claudicationẽ, quod equidem duabus de caussis evenire puto, vel quod humor in profundo delitescens inter patellam & articulum, cum discuti & resolvi nequeat, propter partis infirmitatem, & caloris inopiam, sua sæpe sede ossa dimoveat, vel si articulus penitus exulceretur, quod huius sanatio consistat in exiccatione, quia mucilago serviens flexioni iuncturarum ad articulum ossium induratur, & capita ossium distinctorum terminat. Omnino abscessus in genu magni est negotii, quod humor penitus in articulo capaci imbibatur, nec resolvi facile possit, retentus verò in parte excarni, nec robusto calore prædita malignam qualitatem contrahat, nec ei exitus sectione in parte exquisiti sensus, absque periculo pravorum symptomatum paretur. Quare optimo puero bonum & prudentem chirurgum opto, qui eum recte tractare possit, cuius iudicio meam sententiam de re non visa plane subiicio.

CONSILIUM XXIV.

In Melancholia hypochondriaca pro quadam fœmina Nobili.

Symptomata nos in cognitionem morborum deducunt. Et cum ad ſuas referuntur cauſas, morbi cognitio eluceſcit. Sunt enim ſymptomatum cauſæ morbi, atque ij Medico curandi. In Melancholia autem hypochondriaca ita maligna ſunt ſymptomata, ut exercitatiſſimi etiam Medici de loco affecto nequeant ſtatuere. Itaque ad ea, quæ Hippocrates noſter de mulierum & virginum morbis nobis ſcripta reliquit, animum refero, & ut mature huic malo obviam eatur moneo. Recte verò factum, quod eſt purgata. Ac purgari eam crebro, id eſt, ſingulis ſeptimanis bis velim, non alio medicamento, quam pomorum ſucco, in quo folia ſenæ decoquantur. Si ſuccus bugloſſæ haberetur, & ſucco pomorum admiſceretur, admodum conveniens eſſet. Mittatur etiam ſanguis ex venis pedum, prout recte aperiri poterunt, & cucurbitulæ etiam in pedibus ponantur, & locus ſcarificetur. Vtatur lotionibus pedum ſomniferis hora decubitus, ex

foliis

foliis salicis, lactucæ, vitis, additis capitibus papaveris duobus. Mane atque vesperi ex aqua scolopendriæ bibat chrysolithi atque Topatii g.vj. In prima cœna sumat iusculũ ex nucibus iuglandium, papavere albo, & addet parum nucis Muscat. Nam somnifera plurimum in his affectionibus prosunt.

De affectione in dextro hypochondrio melius doceri cupio. Item sitne affectæ mammillæ. An ratione recte utatur, pudoris ne obliviscatur, multum, vel pauca loquatur; habeat ne suas purgationes. An in hæmorrhoidibus tumor appareat? Hæc omnia, ut de morbo certius statuere possimus, Medicum monere poterunt.

CONSILIVM XXV.

In hæmorrhagia narium pro quadam Generosa fæmina.

[Sanguinis fluxum consecutum in hoc corpore malum totius corporis habitum, mutationem coloris in virorem, totius corporis extenuationem & cordis, (ut Medico verbo utar) concussionem ex scripto intelligo. Adesse insuper ventriculi & heparis dolorem. Ventriculi cessare, expurgata, pituita

pituita per vomitum. Hepatis perſeverare, & tunc præcipue gravem eſſe, cum ſanguinis fluor imminet. Inſignem etiam tibiarum imbecillitatem conſequi. Hæc ſymptomata Medicus ad facultatem expulſivam, & venarum in toto corpore tenuitatem & raritatem refert. At cum morbi ſint ſymptomatum cauſæ, neq; vis expulſiva, & raritas venarum rationem morbi habeant, non video cur ad iſta duo indicationes curativas referat. Paulo poſt verò contentivam roborandam dicit, neq; tamen, quid ſit roborare, videt.

Eſt aũt certe roborare, nihil aliud, quam iuſtam temperiem parti reſtituere. Hæc igitur eſt vera curandi indicatio, quæ ſemper ad morbum directa eſt. Cum autem temperamentum Generoſæ Dominæ in ſanitate conſtitutæ mihi ſit ignotum, neq; quantitas lapſus perſpecta, ſane non video, quomodo recte ullus rationalis Medicus abſens conſilium dare poſſit. Eſt in dextro hypochondrio dolor, & habemus axioma hoc: Vbi dolor, ibi morbus. Hepar per ſe non dolet, quæ igitur pars vicina affecta videndum. Porrò hepar fons eſt & origo ſan-

sanguinis & venarum. Cum igitur & sanguis ipse (quod malus habitus, & extenuatio declarat) sit frigidor & serosior, cum venarum tunicæ extenuatæ, & vis retentiva, vel contentiva in iis debilis, hepatis intemperiei, & sanguinis inprimis, subveniẽdum. Nam cum sanguis minus serosus fuerit, illius consistentia venarum tunicas iuuabit. At frustra agimus de tunicarum raritate, nisi sanguis suam commoderationem consequatur. Frustra etiam de illa, nisi hepar ad suam temperiem reducatur.

Hic igitur consistimus, & quod resolutione methodica ultimum est, primum in actione Medica esse oportere statuamus. Qualis verò sit intemperies hepatis, & quæ causa doloris, utrum ab intemperie illa, vel alia causa, explicare mihi Medicum, cui signa multa in oculos incurrunt, velim. Nisi enim de illa certi aliquid statuamus, verò scopo, ad quem omnis cogitatio Medica directa esse debet, destituimur. Fateor me existimasse, solam copiam sanguinis, & raritatem venarum narium, causam præbere, ideo sanguinem minuendum esse recta victus ratione, & scarificatione monui,

nui. Ad hepar etiam, ne nimio plus sanguinis generaret, respiciendum, & orificia venarum in naribus firmanda putavi. Sed nũc longe aliter rem se habere intelligo. Vt autem sese habeat, diviniare ex isto scripto nequeo, Ad medicamenta autem cum respicio, & plane dissentanea video, sane quid statuere debeam non reperio. Ab hiera verò abstinendum iudico. Rhabarbarum, & syrupum de cichoreo cum Rhabarbaro probo. Oxymel & omnia acida, propter raritatem venarum nequaquam. Vsum sacchari rosacei non aversor. Magis tamen cõditum florum cichorii, & Diacidoniatum utile futurum puto. De cæteris cõpositionib. nihil pronuncio, neq; quid de localib. cum intemperiem perspectam non habeã, statuam scio. Carnem anguillarum cachecticæ præscribere vix ausim Panatellam, & reliqua non improbo, & præcipuã curationis partẽ in recta victus ratione sitam existimo. Pro potu vinum rubrum Rhenanũ, quod à pede anserino nomen habet, commendo, atq; in illius, atq; carnium assutarũ & contusarum usu magnam curationis spẽ pono. Vt ustuletur chalybe ignito vinum, non

non supervacaneum tantum; sed noxium maxime iudico. Hæc potui hoc tempore adscriptum mihi propositum respondere, quæ ut à benignissimo Deo fortunentur, opto. Certe non respondissem quicquam, nisi maiorem rationem voluntatis Patronorum meorum, quam Medici habuissem. Quid enim non explicata natura agræ & morbi, ut par est, responderem?

CONSILIUM XXVI.

De præservatione à Mola pro Nobili quadam matrona.

Fœminas eas, quę Molas gerunt, idoneas esse conceptui & generationi manifestum est. Nam earum uterum generationi operā dare, illud ostendit, quod materiam etiam non convenientem in rudem molam format. Eam verò materiam quidam in utero colligi & formari, & sic vitium in fœmina tantum esse arbitrantur. Verum cum satis constet, nullā unq̃, quæ cum viro rem non habuit, molā gestasse: pro certo habendum, vitiū non tantum in utero muliebri, & materia, q̃ suppeditat fœmina; verum etiam in semine virili esse, atque illud vel qualitate, vel quantitate, vel consistentia peccare.

Nam

Nam si frigidus est, vel paucum & tenue (ut est eorum, qui nimium sæpe coeunt, aut inebriantur, vel ex morbo exhausti sunt) ad generationem fœtus parum facit, itaque delatum in uterum, in quo humori crasso & viscido (qui plerunque fœminis, tanquam ad commune excrementorum receptaculum, in uterum deponitur) miscetur, massa quædam vi formatrice efformatur, quæ ex membranis & venulis sanguinem attrahentibus ita augetur, & in molem attollitur, ut fœmina uterum gerere videatur. Sed non difficile est eam a vero conceptu & fœtu discernere.

Communia quidem utriusque sunt signa; mensium suppressio, intumescentia uteri, nausea: hæc tamen omnia, quam in vera imprægnatione difficiliora. Motus est tremulus, sive à mola, sive ab utero sit movente, & materiam conante expellere, sed non circa umbilicum, ut ab infante, verum de latere in latus voluitur. Citius etiã venter intumescit, verum magis latera, & major gravitas, quam in vera imprægnatione. Hæc signa dũ adsunt, & præsertim si mammæ sine lacte tument, nequaquam expe-

 ctandum,

ctandum,dum natura molam eijciat. Sed Medici opera utendum,& ea, quæ menses provocant,ratione certa,&præparatis vijs, maxime tamen ratione virium habita, exhibenda.

Nam etiamsi (id quod non raro evenit, & in hoc corpore evenisse intelligo) concipiat; tamen mola fœtum enecat & elidit. Multo autem periculosius est molam gestare,quam fœtum. Cum minori enim periculo& laceratione uteri fœtus in lucem editur. Itaque tam vir,quam fœmina cavere debet,ne causam huic malo det. Fœmina quidem,ne per victus rationem, quæ crudos humores in corpore accumulet,per occursum aeris frigidi,quo uterus offendatur,per commotiones magnas corporis repleta cibo,vel animi affectiones vehementes & iracundas,quæ præcipitant humores. Vir verò, ne vel nimium sæpe rem cum conjuge habeat, vel dum plusculum adbibit coeat.

Si uterus frigidior est, & humoribus abundat,nihil thermis convenientius. Verum ratio universi corporis habenda,& ne crudum corpus lavetur, (id quod plerunq; fit, cum

cum perpetuo comessationes in Thermis sint)opera danda. Sulfureas,cum exiccent (id quod ex ulcerum curatione manifestum)idoneas esse,rationales Medici negare non possunt. Et quod in Bajs Neapolitanis,& Patavinis evidentius sulfure? quarum vires in uterinis morbis à tam multis decantatas scimus. Itaque ubicunque ex lubricitate uteri abortiones metuimus,earum usus conveniens.

Mundari etiam & siccari uterus per fomenta,& ea quæ imponuntur debet. Ad fotum nihil melius decocto salviæ in aqua & vino , ita ut ante cœnam per infundibulum fumus in uterum ascendat. Panniculi etiam linei molles intingantur in aquã majoranæ , & membro muliebri imponantur. Inungatur umbilicus oleo balsami Indici,si haberi potest. Frequenter in cibo sumat rasuram eboris,quæ & uterum roborat , & humiditates absumit.

Cum verò se utero ferre sentit , à vehementioribus commotionibus tam animi, quam corporis sibi temperet. Pulvere nostro pro gravidis ante somnum utatur. In ovo verò sorbili sumat quotidie mane grana

tria granorum tinctorum, vel de hoc pulvere, quantum acie cultelli capere potest:

♃ Gran.tincto. ʒj.
Thuris albiss.ʒß. Misc.

Inungat lumbos dum fert uterum, hoc unguento:

♃ Mastic. ʒij.
Rosar.rub.ʒj.
Ol.rosac.q.s. Misc.f. unguentum.

Poterit etiam Comitissa uti. Cæterum cum partus tempus instat, inungere se isto unguento desinat, ac potius liliorum alborum oleo cum axungia gallinacea misto utatur, eoque totum ventrem inungat. Hæc, Deo juvante, spero profutura. Quod si ante Mensem Maij non fieret gravida, vellem post primum somnum eam haustum lactis caprini sumero, idque per totum mensem facere.

CONSILIVM XXVII.

Præservatio à Podagra pro quadam primaria fœmina:

Observata victus ratione, spero ex hujus electuarij usu Dominam magnum adjumentū valetudinis melioris habituram, (si

(si quotidie, & longo tempore eo utatur) minusq; articulorum doloribus obnoxiam futuram. Nam cum, ut alias ostendi, crassi humores non fluant, nisi serosis in corpore auctis & superabundantibus, certe quotidianus usus electuarij hujus non parum ad absumendum serosos humores faciet, hepatis etiam intemperiem corriget.

Cæterum cum articulorum intemperiem perditam esse appareat, vix poterit ea restitui, & malum omnino præcaveri. Ferenda igitur erunt ferenda.

Descriptio electuarii hæc est:

℞ Aristoloch. rotund.
Gentianæ a. ℥ß.
Diptami cretic.
Agaric. albiss & recentiss. a. ʒij,
Succin. alb. præp. ʒ vj.
Rasuræ eboris ℥j.
Rasuræ cornu cervi ℥ij. Misc.

Si ʒ. unam in aqua veronicæ sumere poterit mane in lectulo atque sudaro, rectissimũ fuerit; sin minus, addito rob è baccis sambuci f. electuarium, & accipiat cochlear unum. Valentior autem usus hujus medicamenti erit, si singulis septimanis,

aut saltem quatuordecim diebus accipiat rhabarbari in substantia, aqua cinnamomi aspersa drachmam unam. Spero hoc consilium rectum esse, & ut eventu Deus approbet opto.

CONSILIVM XXVIII.

In Epilepsia pro quadam Nobili Puella.

Non hoc mihi sumo, ut de temperatura Nobilissimæ Puellæ, morbo, ejusq; causis judicare me rectius posse putem, quam præstantissimus Medicus, qui diu curationi interfuit, & præfuit, existimat atque ad nos perscribit. Ideoque posito isto puellam in prima pueritia temperaturæ, quantum ex omnibus jndicijs colligo humidioris & fortasse frigidioris. (Nam qui sæpe corripitur febribus, causam non ad caliditatem hepatis, sed ad στέγνωσιν refero, neque ea duplici tertiana post quartanam sub medium veris laborasse in ista ætate, & victus intemperantia, atque ventriculi frigiditate & humiditate, sed quotidiana, collecta potius videlicet pituita post quartanam & hybernum tempus laborasse puto) temperaturæ esse, atque laborare Epilepsia ex consensu

sensu ventriculi, ac fortasse etiam per essentiam, præsertim ita disposito capite, ut Excellentissimus Doctor refert, statuo.

Quod ad prognosticum attinet cum jam rursum laboret quartana, & natura caput per loca convenientia vacuet, bonam spem curationis esse arbitror. Cum autem natura suum officium faciat, nos nostro deesse non oportet. Id verò recte mea sententia fecerimus, si naturam, quantum in nobis est, adjuverimus, ut caput probe expurgetur.

Velim igitur, siquidem ulcus, quod Excellentissimus Medicus circa aurem esse scribit, diutissime apertum servetur, Id qua arte faciendum sit, non necesse est artis usu peritum monere Medicum. Illud adhortor, ut eo consolidato vesicatoria, quæ sine dolore possunt excitari, unguentis præsertim, quæ non ignorat Excellentissimus Medicus, excitentur, neque vel periculum, vel sermones astantium vereatur, cum sciat se actum agere in isto morbo, nisi expurgato cerebro, eoq; roborato; Atque haud dubie nisi malum per essentiam in cerebro jam nũc esset, Natura

iſtam evacuationem ſecundum aurem non fuiſſet molita.

Cerebrum autem roborari poſſet, vel unguentis, in quibus eſſet guttula una atq; altera olei caryophillorum, vel adhibito cerato ex ladano, thure, ſuccino albo, corall. rubro, &c. facto. Nam quantum talia cerata, præſertim pueris conveniant, ſępe ſum expertus.

Quod ad reliquam curationem attinet, etſi non lubenter diſcedo à ſententia excellentiſſimi Medici, tamen patiatur me paucis diſſentire. Ventriculum humidum & frigidum eſſe ipſe fatetur, proinde ea quę proponit, videlicet, electuarium lenitivum, item ſerapium factum ex mercuriali, malva, parietaria, etſi nonnihil abſtergant, plane propter humiditatem relaxantem probare nequeo. Extractum potius ex aloe, rhabarbaro, & agarico, quod in exigua quantitate cum ſyrupo de ſucco cichorij, vel endiviæ, vel ſyrupo de cichorio cum rhabarbaro, quem Nicolaum Epilepticis præſcripſiſſe ſcimus, & in febribus etiam quartanis plurimum prodeſſe ratione & experientia edocemur, magis meo judicio prodeſ-

prodeſſet, vel ſiquidem potionibus utendum eſſet, facto decocto ex floribus cordialibus, præſertim borraginis cum modico meliſſæ & ſeminibus citri atque aniſi, iiſque infuſa ſena, atque diluto cum ſyrupo de cichorio cum rhabarbaro.

Interdum etiam levibus clyſterijs alvus ſubducenda. Iſta & pituitoſos & craſſiores humores, ut ſpero, recte purgarent, nec ventriculum offenderent. A Turbith abſtinendum puto, nec Diarrhodon exhibendum, cum ſciamus Camphoram in imbecillitate ventriculi atq; capitis plurimum obeſſe, & maxime obeſſe epilepticis.

Evacuato autem ventriculo, ei ſubveniendum putarem inunctione ex ſolo oleo nucis muſcat. cum corallis probe contuſis, ita ut regio ventriculi minime late inungatur. Spina etiam dorſi aliquo temperato calido oleo inungerem. Nam eam pati in iſto morbo, & corroborationem plurimum prodeſſe ægris ſcimus. Hepati, ſiquidem eſt calidum, de quo ego non pugno, non judicarem profuturum unguentum roſatum Meſue, præſertim cum puella quartana modo laboret. Ac ſi quid ratione calidi

L 5 hepatis

hepatis adhibendum esset, satis facere posse aquam cichorij, cui parum vini subacidi inspergatur. Scio commendari ad epileptica πιθήματα oxymel scilliticum, verum in quartana, à qua nobis spes liberationis ab epilepsia ex autoritate Hippocratis est, scit Excellentissimus Medicus hoc non convenire, & ego admodum dubito, an non scilla, qua vulgo utuntur, sit pancratium, ideoque nunquam lubenter exhibeo.

De pæonia nostra quid sperare debeamus, cum fœminam tantum habeamus, facile est existimare. Vsus betonicæ plurimum probatur, præsertim illius succi cum melle vel saccharo. Margaritas, corallos, etiam smaragdum, siquidem orientalem haberent. Nam lapidum de Peru, quo vulgo pro smaragdo utuntur, non probo, atq; nunc in quartana os de corde cervi admisceri velim, atque ejusmodi electuario quotidie puellam uti. Hæc in summa festinatione distentus varijs curis, & curationibus molestis, etiam in quadam valetudinis meæ infirmitate dictavi subito, ne vel cohortatio Excellentissimi Medici, vel preces Magnifici

gnifici Domini apud me parum valuisse viderentur. Itaq; si in ista properatione parum politissimo judicio præstantissimi Medici satisfecero, ut venia mihi detur peto. Maluissem plures Medicos ad consilij rationes conferendas convocari, sed quia aliter visum est Magnifico Domino, pro mea parte quod potui feci, Deumque precor, ut is pro sua benignitate deliberata nostra gubernet & fortunet.

POST SCRIPTVM:

Diligentem quoque in curatione Nobilissimæ puellæ puto victus rationem, sine qua parum medicamenta prodesse poterunt, adhibendam, & operam dandam ut conveniente inprimis utatur potu. Si vellet bibere mulsam, coquenda esset cum folijs betonicæ, atq; uno atq; altero salviç, & pauculo zinzibere, admodum scio ejusmodi potum Epilepticis profuisse. In cibo semper exhiberem margaritas præparatas. Darem etiam conservam borraginis, præsertim cum tua Excellentia scribat puellam sudoribus obnoxiam. Febris curationem, nisi admodum molesta esset, & vires exhau-

exhauriret, modo negligerem. Vlcus purum, ut conservaretur mandarem. Exiccationem nimiam, quæ ad consolidationem faceret, prohiberem. Nec dum flueret materia ex ulcere aliam purgationem capitis molirer, ne materia contra naturæ motum ad alium locum diverteretur. Immo, ut scripsi in consilio, consolidato ulcere omnino uteret vesicatorijs factis in modũ unguenti, quæ absque dolore vesicas diu fluentes efficiunt. Quid si quoque vermes adessent, proinde diligenter ad hoc respiciendum. Colligo omnia, ut meo officio, & voluntate clarissimi Medici satisfaciam, & natam Generosi viri unicam, quantum in me est, conservem.

FINIS CONSILIORVM.



SEQVVN-

Sequuntur

EPISTOLÆ MEDICINALES:

IO. CRATO A KRAFTHEIM,

&c.

Clarißimo Viro,

D. PETRO MONAVIO,

Medico Cæsareo , S.D.

I



Vi ad reprehendendum alios paratiſſimi ſunt , plerunq; in ſe parum animadvertunt. Scripſiſti omnes omnia bona de meo libello Germanico dicere , laudare ſtudium juvandi plurimos ; denique ut recuperetur autor fuiſti. Nunc poſteaquam ego laborem iterum ſupra vires ſumpſi , & huic alterum quaſi , qui me ad languorem ita dedit, addidi, ut haud ſciam an unquam vires recuperaturus ſim , neſcio quem ordinem , & quæ alia in eo deſiderare curiales noſtros commemoras. Niſi aulam noſſem , & quam multi ſint ſcirem , qui vere judicare poſſint, aut harum rerum , de quibus agitur, periti eſſent: ſane animo perturbarer ; ſed cum quid in hoc Theatro fiat , & quam rerum omnium imperitiſſimi cupi-

cupidissime alios reprehendant non ignorem, non valde commoveor. Te verò ista nunc scribere miror, posteaquam ipse libellum præconio tuo publice ornasti, & typis describendum Typographo dedisti. Ac exploratissimũ tibi est, me hunc librum nunquã ita habuisse in manibus, ut quæ accurate perpolire solemus. Relegi, & cum quid mutandum videretur, dictavi. Fateor propter valetudinis imbecillitatem nõ potuisse scripta recognoscere; sed sperabam, si quid forte emendandum esset, facile hoc præstare posse, qui curam editionis susciperent. Legi tuas correctiones; verum ne quid dissimulem, à mea sententia alienas: sed de his nunc non agam. Qua de ratione libelli Germanici, in prima parte præcavendi rationem monstro, duplicemque pono, unam, quæ ad Magistratum politicum pertineat, alterum propriam Medici. In ijs quid desiderent nescio. Ad extremum ut cupiditati hominum satisfacerem, formulas remediorum, quibus summi Principes usi sunt, cum multis communico. In altera parte cum de curandi ratione agam, primum Pestem nomen generis esse, atque

que sub eo contineri multos morbos plurimis exitiosos, quod ante annos quadraginta etiam scripsi, statuo. Deinde febres pestilentes duplices esse dico, unas à putredine sola dependentes & à causis internis plerumq; ortas, eas privatas appellavi, quod minime se efferrent, & contagiosæ essent, licet plurimis exitiosæ. Has febres interdum in uno vel plurimis ad eum putredinis gradum pervenire ostendo, quem morbida exspiratio consequatur. Itaque tum ex ijs non tantum putridæ pestilentes, sed contagiosæ fiunt, id est, quæ morbida exspiratione similem affectum seu febrem pestilentem, bubonibus & carbunculis insignitam in alijs corporibus, quæ inspiratione morbidum illud, ex corporibus infectis exhalans, attrahunt, inducunt. De his febribus pestilentibus me in meo libello agere profiteor. Itaque cum inspiratio morbida exspirationem seu Diaphorisin ex lege contrariorum indicet præcipuam curationem indicativam in eo consistere, ut seminarium haustum per insensibilem transpirationem vel sudorem, quo omnes fere contagiosi morbi curantur, expel-

expellatur atq; malignitati seminarij hausti resistatur,& cor contra illius malignitatem præmuniatur. Primum medicamenta simplicia recenseo, deinde pauca remedia, quibus hic & alibi usus sum, & cum autoritate & experientia moveri homines sciam, usu atque experientia comprobata in medium adfero. De phlebotomia meam sententiam,recitata prius veterum; expono,ac ipse fateor, cum initio hanc partem non attigissem, me in emendanda quoque cornicum oculos noluisse configere. Admonitiones autem utiles, etiamsi fortasse inepte iterentur, in medium affero atque ista sententia concludo. Me non videre quid in pestilentibus contagiosis, & à seminario hausto ortis phlebotomia magnopere juvare possit, cùm malum inspiratione haustum non exhauriat. Ad extremum de cura ęgrorum non tantum medicamentis, quàm victus ratione habenda pauca subjeci. Cæterum in postrema parte,qua cum chirurgis prodesse studeam, iterum de ratione mittendi sanguinem ijs eadem inculco, & quam cautionem adhibere debeant,monstro, cum quam incauti & temerarij

merarii ſint reipſa compererim. Atque ad extremum de carbunculorũ & bubonum cura, quæ profectò in hoc morbo curationis caput eſt, ago. Quæſo quid habes quod in iſto ordine reprehendas? Si quædam repetita ſunt, eaq; magnum uſum habent, & digna quæ obſerventur doctis videantur, quid obſecro illorum judiciis, qui in verborum mirifico ſplendore atque apparatu omnia collocant, injuſtius? Sed mitto iſta. De tuis dubitationibus magis quomodò tibi in mentem venire potuerint, quam ulla de re miror. Primum quę de homonymia vocabuli contagii & cõtagionis ex ſententia Eraſti ſcribis, ea nihil ad me attinẽt. Tueatur Eraſtus ſua; Ego de vocabulis cũ nemine pugnabo. Rem autem ita ſe habere ſtatuo: Omnes morbos contagioſos oriri à morbida exſpiratione, quam inquinamentum ſeu ſeminarium appellamus, eamq; morbidam exſpirationem ſimilem affectum & morbum in corporibus, inprimis verò prædiſpoſitis, etiam ſi ſymptomata omnia non ſint ſimilia, inducere. Putredinem verò hujus morbidæ exſpirationis cauſam eſſe, verum non ex quavis putre-

tredine similia μιάσματα exhalare, aut etiã omnia eodem modo contagiosa esse, multo minus pestilentia. Alia enim sunt quæ scabiem, alia quæ morbum gallicum, alia quæ lepram, phthisin, &c. adferunt. Illa verò quæ febrem pestilentem (non dico putridam pestilentem, sed contagiosam) inducunt, resipere non putredinem solam, sed sævam corruptionem, quam hausta subito in corpus humanum, quod contingunt, inducunt. Itaq; jam non putredinis, ut fit cũ ex pestilentibus putridis (aliquando initio pestis) perveniente putredine in corporibus humanis ad istum gradum, ut morbidam exspirationem contagiosam emittãt, soboles sunt; verum perniciosissimæ corruptionis, omnem putredinis conditionem superantis. Hinc sæpe subito, etiam sanis & mediocriter constitutis corporibus exitium adferunt. Ex nulla aũt alia re exitiosa ista μιάσματα q̃ è corpore humano, dũ natura vaporosum illud excrementum expellere potest, prodeunt, atq; ab iis inquinamentis, quæ vel præparant ad suscipiendam pestem, vel seminaria pestis non contagiosæ, verum putridæ febris sunt, discernenda.

nenda. Cæterum quod putas, me in errore versari dum contagiosas febres ab inspiratione, qua seminarium attrahitur, quæque carbunculis vel bubonibus insignitæ sunt ortas, ut pleriq; omnes in pestilentiis, quæ in nostris regionibus grassantur, esse appa-ret, ignotas veteribus statuo, minus accurate meam sententiam te considerasse, rationes tuæ ostendunt. Fateor cum Galeno non vocare periculo consuetudinem cum putribus morbis laborantibus, sed ubi Galenus scripserit, & omni putredine exhalare morbidum, quod contagione similem affectum in corporib. Quę attingit, inducat, imo quod febres pestilentes contagiosas excitet, non reperio. Μιασμάτων, inqui es, meminit, & Hippocrates σπέρματα λοιμοῦ nobis ostēdit? Quid hæc obsecro probant speciem hanc febrium pestilentia-lium contagiosarum, quæ nobis infesta est, & quam omnes Medici refugiunt, veteribus novam fuisse? Multa μιάσματα ex variis rebus putridis exhalant, quæ corpora humana ad suscipiendas potius febres pestilentes præparant, quam pestilentes contagiosas, de quibus nos agimus,

inducunt: sic σπέρματα τȣ̃ λοιμȣ̃ ferũtur ex variis locis, & corpora plurima, ut variis febribus pestilentibus putridis laborẽt, idonea reddunt, verũ ut subito quasi ad istum modum laborent, & morbidam exspirationem, quæ hausta inspiratione aliis contagiosa & exitiosa sit, & similem plane affectionem aliis corporibus inducat, habeant, non facile mihi persuadebis. Nihil dicam hic de diversis quasi gradibus malignitatis, deque intentione, & remissione μιασμάτων, & neque omnibus temporibus neque omnibus in locis eandem vim atque affectionem habere res ipsa loquitur. Galenum non intelligere de inquinamentis, quę sunt cõtagionis seminaria, seu contagione contaminant, & subito vim vitalem in omnibus, qui per aerem ea attrahunt, oppugnant, verum vitium aeris ad pestilentem putredinem, corpora præparantibus, cum ait, aerem cõtinere σπέρματα τȣ̃ λοιμȣ̃ minime dubito. In Thracia summæ sæpe sunt pestes, etiam in aliis regionibus orienti magis vicinis, quæ multa millia hominum è mndio tollunt, cõtagiosas tamen febres pestilentes ab inspiratione ortas raro est

rò est observatum consequi. In castris ad Taurinum innumerabiles propemodũ pestilentibus febribus perierunt, contagione illas disseminatas atque ideo exitiosas fuisse, etiamsi quotidie cum ægrotantibus sæpe multumq; fuerim non animaduerti. Ac profectò ab istis summis Medicinæ autoribus non parum peccatum, si vim illam cõtagionis febrium pestilentialum verè cognovissent, neque ullum verbum de contagione posteritati scriptum reliquissent. Quod ad extremum addis (tua tibi verba propono) fortasse inter pestem & febrem pestilentialem contagiosam distinguis. Apage te cum illo fortassis, cum apertissimis verbis hoc ubique agam, & an non genus à specie distinguerem? Te verò per quicquid possum oro, ut parcendum seni, & animam agenti, existimes, & modum in animaduertendo, atque studium aliorum dicta in bonam partem interpretandi justitiæ convenientem, pulcherrimam virtutum putes. De meis observationib. cum toties scripserim non esse eas in mea potestate, verum disiectissimis chartis, & variis libellis inscriptas, quæ in potestate filii

ſunt, contineri, quid me toties urges? Ipſe bonam earum partem, cum multa tibi recitaverim, in memoria habere deberes, & ſcis familiaribus meis non ſolitum reticere. D. Ioachimus Camerarius & ſuas & aliorũ ſe colligere nuper ſignificavit, opto ut poſſit. Vnam inſignem & mearum obſervationum pręcipuam tibi modo proponam, quę in hoc meo morbo (non quod me ſummis Imperatoribus & Heroibus æquem) ſæpe in mentem venit. Veriſſimum hoc eſt: Divum Ferdinandum Imperatorem, priusquam lecto decumberet (cui vix tot menſibus, quod ego annis affixus fuit) catarrho & difficultate ſpirandi laboraſſe, & macie totius corporis contabuiſſe, magnum etiã aceruum in renibus atque veſica calculorum collegiſſe. Ἀποσιτίᾳ autem tanta laboraſſe, ut viribus omnibus exhauſtus, inter loquendum placidiſſime exſpiraret. Quid optimo Imperatori evenit, quod ego non ſim paſſus, & etiam nunc patiar? Ante ſeptennium Cæſare graviſſime ægrotante, cum ſingulis fere noctibus tẽpeſtate horrida in palatium vocarer, catarrhum contraxi graviſſimu, & magna difficultate ſpirandi

tandi laborare cœpi. Cupiebam obstare pricipiis, sed totum trieñium aliud ex alio malum. Itaq; meam valetudinem posthabere & negligere coactus sum. Supra vires omnia me fecisse sciunt, qui me in Palatiũ perduxerunt, & quibus gestandus sæpe fui, cum per scalas ascendendum esset. Cum autem à catarrho ventriculus non admodum afficeretur, vires mediocriter cibo & potu sunt sustentatæ. Eo verò die, quo ab aula discessi, cum amici plura à me postulassent, quam præstare possem, ita me misere aflixi & defatigatus sum, ut simul ac flumẽ superassem & currum ascendissem, in profundnm somnum inciderem. Post eum diem perpetuo cum adversa valetudine confligandum fuit. Catarrhus auctus est simul ac domum redii. Persuaserunt autem mihi mei, ut relicto Rucuriano huc irem. Memineram quæ valetudinis pericula in hoc aere sustinuissem, morem tamen gessi. Corpus, cum nondum plane jacerem, macie contabescere cœpit. Ventriculus ita difficulter cibum concoxit, ut per συμπάθειαν quandã cor mirifice in labore coctionis afficeretur. Medici πλυμὸν existima-

istimarunt, verum nunquam vere fuit, nec hoc malum his quatuor annis a me discessit. Catarrhus alias mitius, alias atrocius mecum egit, & sæpissime ita spiritum eripuit, ut nihil morte si factũ propius. Postea quam tabida membra, & omni succo nativo exhausta movere non potui, mihique lecto decumbendum fuit, renes calculos coxisse animadverti. Quos dolores & cruciatus dum eliderentur, accedente ingente mole flatuum, qui universum corpus penetrarunt & afflixerunt, senserim, nequeo narrare, nec si queã propter acerbitatem recordationis velim. Certe hac in parte Divo Ferdinando Imperatore fui infelicior. Nam is magnos atq; multos lapillos quotidie fere, sine omni tamen sensu doloris egessit, neq; eos cruciatus, quos ego à flatib. perpessus sum, sensit. Ac haud dubie sacratissimus Imperator diuti⁹ morbum, quam ego ferre potuisset, cũ & corpore paulo firmiori esset, & minus annosus, nisi infelix illa medicatio, qua catarrhus est suppressus, accessisset. Carrichterus enim quotidie decoctum florum prunellorum sylvestrium dabat, item alia in

rustico

rustico corpore vix ferenda. Cum autem ex illius libellis appareat, quo artificio suis rebus fucum faciat, quam Medicinæ sit imperitus, miror amicum fratris tui, quem nuper donatū Physico libello mihi quoque cōciliavit, illum juventuti commendare, & Turnheuseri cōficta de herbis & earum destillationibus mendacia tanquam rem admirandam pueris proponere. Sed sæpe fallimur specie recti, & facile admiramur quæ non intelligimus. Ego ut materiam catarrhi in hoc tenuissimo corpore expectorarem, hactenus operam dedi. A medicamentis, præterquam iis, quę ventriculi vires conservant, plane abstinui. Nunc cum & pectus & ventriculum parum medicamentis juvari animaduertam, & nocturnis horis calorem naturalem atq; difficultatem spirādi augeri sentiam, id quod Divo Ferdinando Imperatori evenit, & inprimis humanum est, quin sit consecuturū non dubito. Paro igitur me ad ea quæ sunt superanda. In Divo Ferdinando Imperatore pulmo fere totus gypseus erat, meus ut sit nescio. Renes an tantum callis abundent haud scio. Calorem illum

præternaturalem & ἀνορεξίαν vires valde, ita ut optimo Cæsari, frangere sentio. Itaq; ne brevi deficiant vereor. Hoc modo nos dominus Cœlestis oberrantes in his terris inter falsa & fugacia ad se revocat, & facit ut dierum, ut D. Petrus ait, commorationis nostræ facietas nos capiat. Bene vale. Vratislaviæ sub æquinoctium autumnale. Anno CIↃ IↃ XXCV.

II.

Io Crato Kraftheim, &c. Clariß. Viro Domino Petro Monavio, &c.

S. D.

Libellum de Quinta essentia legi non tam me causa, cui labor est hæc cognoscere, quam ut tibi gratificarer. Autor est ingeniosus, sed, ut ego judicio, judicio parum confirmato præditus. In universalibus ostendit se ratione & experimento non destitui. Ad particularia cum est ventum friget. Obsecro inspicias definitionem, & videbis quam sibi constet. Quid quæso hoc est, posita definitione in dubium vocare, an res de quo quæritur sit? Destillationis finis est, separare purum ab impuro,

impuro, seu spiritum naturalem, qui præbet vitam rebus, ab elementari materia segregare, quantum segregari potest. Solus enim sine subjecto consistere nequit, sed vel in materia oleaginosa, vel in aquea pura, aut viscida residet. Hunc spiritum ego quintam essentiam duco, & si quid aliud est mihi demonstrari cupio. De nomine nullam litem moveo. Scio spiritum vini, maxime à Chymicis ita appellari, & recte quidem, cum ex omnibus rebus, quas penetrare potest, quintam eorum essentiam, vel spiritum naturalem ad se pertrahat, & sibi jungat. In iis ubi spiritus naturalis aqueo vel oleaginoso humido insidet, destillatione per ascensum, ut vocant, evocatur, dum vapor vel in aquam, vel in oleum resolvitur. Cæterum cum viscido inhæret, quemadmodum in radicibus & seminibus quibusdam, nulla re melius, quam affuso spiritu vini elicitur.

Hinc facile illorum errar apparet, qui aquas vitæ seu Elixir affuso vino, variis speciebus, ut nominamus, additis, imo auro & preciosis gemmis, sæpius destillant, & præstantiores aquas se

effi-

efficere arbitrantur, cum solus spiritus vini, iis quæ penetrare potest, affusus, intra paucas horas hoc præstet; in multiplici verò destillatione subtiliores partes exhalet. Quod autem Carolus de Petra Alba sibi somniat spiritũ vini posse aurum, margaritas, vel gemmas penetrare, in eo illum opinione falli certum est. At tres novos destillandi modos quos ponit, vere novos, id est, falsos & confictos ratio atq; experiẽtia monstrat. Primus plane ridiculus est, cum ex libra media Cinnamomi spiritũ aqueo humori insidentem extrahit, ac deinde ex fecibus putrefactis, ac plane insipidis, in quibus vel paucus, vel nullus spiritus remansit, oleum se elicere posse arbitratur. Alter verò modus, quo rationem conficiendæ quintæ essentiæ ostendit, erroribus menifestis plenus est. Nec ipse affirmare audet, se isto quintã essentiam auri & præciosorum lapidum atque aromatum unquam præparasse, vel sibi panaceam hanc visam esse. Haud dubie si ea usus fuisset, exempla eorũ, quibus profuisset, non reticeret. Cur autẽ obsecro sulphur commiscet spiritui vini, ut aurum attenuet,

vel

elin cinerem redigat? Scio & fateor spiri-
im sulphuris aurum penetrare, atque ali-
uo modo mutare? Sed spiritum vini sul-
uris spiritum ad se attrahere, nec ab vi-
perito chymico didici, multo min⁹ re ip-
comperi. Conficiflores sulphuris, dum
spiritus vini affunditur, & crebro in flā-
atur atq; deflagrat non ignoro. Sed hanc
se veram præparationem vix puto. Ma-
s eam probo, cum vel oleo tartari, vel ce-
affusa sulphur præparatur. Sed de his
ınc non est propositum scribere. Tertiū
stillandi modum gummatum, quem tra-
t, non improbo, cum ratione munitus
deatur, sed rectius dum gummata destil-
mus, silices addi, reipsa comperi. De mar-
ritarum dissolutione in communi erro-
versatur, si acetum destillatum vel alios
ccos acidos hoc præstare putat, nisi, ut
ıymici nominant, radicati sint. De suc-
; quidem non contendo. De aceto cer-
m est humorem qui ascendit esse insipi-
ım, & dissolvendis margaritis minime i-
neum. Cæterum partem eam, quæ post
stillationem aceti in fundo residet, & a-
tum radicatum à Chymicis appellatur,
sua

ſua acrimonia, & vi corroſiva atq; cauſtica, nō modo margaritas, verum alia etiam diſſolvere, & in cinerē quaſi redigere, atq; quemadmodum Chymiſtæ loquūtur, calcinare poſſe nullum dubium. Hoc autem non eſt ſpiritum margeritarum elicere, ſed totam earum ſubſtantiam corrumpere.
D. Woyſelius ſenior mihi narravit Epiſcopum Vratislavienſem Caſparum Logum Magiſterium hoc perlarum, perſuaſum à fratre, ſæpe porrectum à Paracelſiſta quodam bibiſſe, atq; demortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuiſſe. Eodem evētu uſam eſſe Marchionis Iohannis conjugem, in qua ventriculi tunicæ plane fuerint eroſæ. Raro certe ullum vitrū, in quo aſſervatur, tam eſt firmum, quin erodat, & in cinerem convertat. Longū eſſet omnia iſta perſequi, quæ imperitiſſime de gēmarum atq; auri diſſolutione dicuntur. Certe artis imperitia, ac inſcitia potius ſe manifeſte prodit, cum nōdum periculum, quod in æreis vaſis eſt, dum ea deſtillationibus adhibemus, animadvertit, & præcipuum gradum ignis, maximeque convenientem, videlicet ex arena, reticet. Poſsē alia, quaſi pueriliа

ierilia errata demonstrare, sed sentio me
mium & legendo & dictando defatiga-
im esse. Si vera esse scit, quæ de Panacea,
firmat, ægros suos & alios, qui illius ope-
ı utuntur, injuria afficit, dum illis medi-
amentum hoc non præbet. Verum vides
uam in refutandis objectionibus sit lan-
uidus, ne dicam ineptus. Novam propo-
tionem erudite tractat, & medicum ra-
onalem ostendit. Quæ verò attexit, ut
onsentiant veris ipse viderit. Doctum es-
: juvenem arbitror, & in Philosophia at-
ue Chymicis versatum, verum usu, atque
ἐγχειρήσει non instructum. Nam si esset, ni-
il firmitatis in autoritateФерneliana, quæ
efutata est à quodam edito scripto con-
ra librum de abditis rerum causis, multo-
ninus incongrua Philosophia Cardani,
sse animaduerteret. Quid multa? Magis
nemor esset propositi, neque totam Phi-
osophiam compendio proponere, quam
le Chymia institutã scriptionẽ hoc modo
ıbrumpere mallet. Nimis enim pauca de
Chymia scribere, & ubi ad rem ventum es-
set, vela vertere quis nõ videt? ἀναλογίας cre-
bras, distinctiones ĩperitas, & alia plurima
non

non libet reprehendere. Non enim me στηλίτευσις delectat. At nec tu satis esse, & misero atque ægro seni parcendum putabis. Valde enim hic labor, quem superioribus mēsibus facile ferre potuissem, me ad languorum dedit. Bene vale, Vratislaviæ pridie Kal. Febr. Anno 1584.

III.

Io. Crato à Kraftheim, &c. D. Petro Monavio S. D.

Die Ianuarii xxv literas ad te misi, quas ut spero à domino Schonfeldio accipies. Bene de te sentit. Itaque illius persuasioni satisfacere studebis. Non quævis Gonorrhœa est Gallica, sed ea quæ cum virium languore urina nigricante, & graveolente affligit. Tum insignem ardorem affert, & levibus remediis non cedit. Nihil tale in nostro ægro animaduerti. Deinde dolor ulcerosus circa vesperam eam non molestat. Sed hæc tu considerabis, & me admonebis. Obsecro mi Petre, ut quod sæpe de lectione veterum monui, memineris. Legi non omnio Medicæ artis imperitus Galenum prius. quam in Italiam irem. De iis, quæ meam cognitionem effugiebant,

Præce-

Præceptorum ſententias exquiſivi. Ex Italia reverſus Periochen atq; alia ſcripſi, neque tunc veterum ſcripta depoſui. Cum in Aulam veniſſem, & D. Iulium Galenum in manibus perpetuo habere viderem, atque in omnibus colloquiis medicis magis me autoritate Galeni, quam ratione urgeri, ipſe totum Galenum iterum totis novem annis ita mihi familiarem reddidi, ut nulla dies abierit, quin nō aliquot paginas ſingulari attentione perlegerim. Vbiq; in itineribus, caſtris, &c. mecū aliquot libellos circumtuli. Nec minori ſtudio in Hippocrate ſum verſatus, ſed ut veriſſime dicā, quod ſentio, Nulla commentaria tam me in lectione Hippocratis adjuvare potuerunt, quam ipſa praxis. Hæc cum iis, qui nunc Hippocrat. nobis illuſtrare ſtudent, deſit, quam frigide ſæpe nos doceant, animaduerto. Scribo iſta quia te amo, & amorem meum perſpicere cupio. Nemo multa ſimul agit, & eadem recte. Cura ſit animulæ, cura multorum corporum, quæ tuæ fidei ſe committunt. Hoc ſi feceris, non dubites, quin cætera ſit adjecturus Deus. Non dat omnia omnibus, neq; omnia vult

nos nobis sumere. Feras æquo animo si alii te fortunatiores sint. Te oro si tibi de paralysi post dolorē colicum non satisfeci; ut furiosos spectes, qui in animi perturbatione magnas machinas, & majora viribus movēt, cum ad sanam mentem redierunt; & materia ad exteriora delata, nihil virium habent. Videas in illis παρειμένης χεῖρας, satis apparebit causam non esse in nervorum principio. Quid igitur communem methodum curandi in paralysi sequimur? valde sum debilis, & hæc sumpto cibo scripsi, cum mihi paulo validior viderer. Boni cōsulas, & uberrimas tuas grauissimas mihi futuras existimabis. Bene Vale. XI. Februarij. Anno 1582.

IIII.

Io. Crato à Krafftheim, &c. Dn. Petro Monavio, &c. S. D.

Duas à te habeo Epistolas, quib. Kal. & v. diem Martii ascripsisti. Non possum ad omnia rescribere, cum hæc affixus lecto, quo hoc octiduo raro surrexi, dictare cogar, Itaque brevitatem Epistolę boni consules. De paralysi post colicam miror te dubi-

dubitare; cum ἰατρις sententiæ meæ suffragetur. Dubitationes tuas unica illa sententia Hippocratia diluit: In corpore humano vivo omnia esse transfluxibilia & transpirabilia. Quid ni æque ab intestinis ac à nervis ipsis in totum corporis habitum hæc materia. deferri posset? Non colligitur in musculis, & eorum nervis ac tendinibus; sed magno impetu; sicut alia multa ab interioribus corporis partibus deferri videmus, hæc quoque ad exteriora defertur. Neque materia plane crassa est, sed ichorosa & biliosa; etiamsi deinceps in exterioribus refrigeretur, & crassior evadat propter primam originem & caloris defectum. Absurdum quod tibi videtur: expellere intestina excrementa, quæ recipere apta & nata sint, mihi non videtur. Nam cum in intestinis sit obstructio in colico dolore, & ea materiam per suas vias depellere nequeant, expellit natura eo, quo maxime potest. Non autem est vera crisis.

Multa enim crassa materia remanet, ad quam attenuandam calidis istis oleis utimur. Non nego materiam ex capite & aliis locis affluere; neq; hoc, ut arbitror, scripsi-

De consiliis memorem admones, Faciam quod potero. Sed ita Marasmo conficior, ut vix ossibus hæream, Itaq; raro lecto surgo, & cum paululum me commoveo, ita debilitor, ut concidam. Dn. Callopedius literas ad me misit, quibus se iter velle ingredi ut in aulam veniat, monet. Mœstus & tristis est parens, ac valetudinis suæ, ut ego arbitor, nõ eam rationem habet, quam habere debebat. Mea consilia tibi ostendet. Caput hoc est; Vt rectam victus rationem teneat, & potu illo ex sarsa pariglia, glycyrrhiza & passulis utatur toto hoc tẽpore veris. Si deinde serum lactis biberet, & infuso senæ atque epithymi cum syrupo violaceo purgaretur, recta mea sententia valetudini cõsuleret. Abundat adustis humoribus, atq; eos victus ratione auget. Me hæc de valetudine illius ad te scripsisse indicabis. Dictarem plura, nisi hæc ipsa nimis multa essent, & nihil difficilius facerẽ. Te oro ut amicos salutes, & uberrimas literas quotiescunque recte poteris, ad me mittas. Bene vale. Vratislaviæ 18. die Martii, Anno 1582.

V.

V.

Io. Crato à Kraftheim, &c. Dn. Petro Monavio, &c. S. D.

Eas literas quas discessurus Prage ad me misisti, hic in Rucuriano, quo nudius quintus veni, accepi. Vberrimas autem Vratislavia ad te dedi, quas spero præfectum equis dispositis, tibi redditurum. Cum vero in tuis desiderium mearum literarum mihi demõstres, gratum est de cessatione me appellari. Quis enim literas ab inimico expectet? Quis de eo quem nõ amat, & à quo amari desiderat, queritur? Non libet in hanc sententiã scribere plura, cum mea manu nequeam; ea quidem infirma est, ut nihil nisi vacillãtibus literulis exarare possim. Ad ζητήματα tua quod attinet, quid respondeam? De exhibito aliquibus decocto corticum frangulæ aliquid audivi. *Si* alnus nigra est, ut Anglici Herbarii existimant, nullum dubium, quin vi purgante sit prædita. Quis autem ægroto purgans medicamentum toties velit propinare? Pena quidem & Lobelius in suis stirpium adversariis frangulam cortice nigro, glau-

cis maculis aſperſo libro ſubtus flavo, vomitum ciere, & aquas ſeceſſu deturbare ſcribunt; & Tragus noſter hujus arboris flavum & medium corticem cum aceto tritum & illitum, ſcabiem intra paucos dies ſiccare & ſanare, tanquam ſingulare experimentum recitat; Putredini etiam dentium decoctum Corticis in aceto mederi, dolorem mitigare, & dentes purgare aſſerit. Scio Villebrochium habere quædam peculiaria, verum me tuta amplecti noſti. Ad alteram tuam quæſtionem, De coctione humorum in chronicis morbis, plurima poſſem reſpondere ſi vacuo animo eſſem, ſcis coctionem naturæ opus eſſe, non medicamenti. Quæcunq; igitur ad quandam æqualitatem calorem nativum perducunt, ea coctionem haud dubie adjuvãt, cum concoctio, teſte Galeno, nihil aliud ſit, q̃ maturatio quædam humorum, qui præter naturam adſunt. Sed de humorum præparatione quæ ſerapiis & ſimilib. medicamẽtis fit, te ſcribere arbitror. Sunt autem in chronicis morbis duplices humores peccantes: Vel aduſti, vel craſſi & pituitoſi. In vere aduſtis rectiſſima eſt præpara-

paratio per victus rationem humectantem & frigefacientem. Ea re in quartanis recte decoctum raparum, succum pomorum, & decoctum radicum borraginis, vel potius radicum eryngii exhibemus, quæ minus quam borraginis lentoris habent. In Biliosis nihil præstantius decocto radicum cichorii, etiam obstructionibus ac crudis humoribus præsentibus. Semper enim in chronicis morbis ad obstructiones respiciendum. Cum veró redundantis pituitæ manifestæ sint notæ, quid oxymellite, & præsertim tenui Cinnamomisato, ut ita loquar, quid succo & decocto cardui præstantius? Cæterum cum de præparatione humorum agitur in chronicis morbis, de iis humoribus, qui ad naturalem statum redire possunt, & quos contrariis alterari oportet, ut crassum & viscosum incidere, &c. loquimur. Nam qui nullo modo alterari, & ad naturalē statum redire possunt, ijs epicrasi, si purgari nequeant recte, neq; hoc vires concedant, medendum.

Sed noctuas Athenas ferre prohibemur. Habes de his præstantem monitorem Michaelem Villanovanum, qui præstan-

tiſſimum libellum de coctione humorum & uſu ſyruporum ſcripſit, ut de doctrina excellentiſſimorum duorum Medicorum Patavinorum Iohãnis Baptiſtæ Montani, & Bernhardini Paterni nihil dicam. Pagellas noſtras Vallesianas accepi, in quibus quo plura lego, eo magis ſtyli duritiem, & ſcholaſticam quãdam obſcuritatẽ, Theologis quidem propriam, Philoſophis barbaris nimis uſitatam, averſor. Sed cum laudatus ſit à nobis, & res bonas eſſe, quas proponit, nemini dubium ſit, duritatem orationis in iis, qui nullo uſu ea, quæ in animo ſunt, explanandi præditi videntur, ferre æquum eſt. Vtinam ſeculi noſtri Doctores in iis, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, cautius loquerentur, nec res divinas, per quas ad Deum, & veram lucẽ accedimus, obſcuritati verborum involuerent, ac tanquam noctuæ in tenebris latere perpetuo, quam lucem aſpicere deſiderarent. Certe oblatam lucem illos refugere, & veſpertiliones eos, qui offuſa ſempiterna nocte evolare, neq; in tenebras profundas ſcientes atque volentes ſeſe conjicere ſtudent, nominare eos apparet. Sed mittenda ſunt nomi-

nomina vera vel falsa, & Deus orandus, ut in veritate atque luce nos conservet. Bene vale. E Rucuriano x Iulii, Anno 1582.

VI.

Io. Crato à Krafthein, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Nondum quod sciam Ribischii auriga advenit, neq; post eas literas, quibus v. Decemb. d. adscripseras, ullas à te habui. De quæstione tua, sitne durantibus doloribus podagricis atque affluxu materiæ medicamentis purgantibus fluxus diversione inhibendus, à multis est disputatum. Rationi verò atque experientiæ contrarium, vel levioribus, vel fortioribus medicamentis hoc tentare videtur. Leviora enim materiam commovent, & magis ad membra dolentia præcipitant. Fortiora in impuris corporibus ob non præparatam materiam, vim naturæ inferunt. Itaque rectissimum puto, sumpta indicatione à natura rei, cum podagra sub genere fluxionum & inflammationum, licet interdum non satis proprie, comprehendatur, enemate alvum, si astricta sit, movere, & sanguinem è media

cubiti vena, cæteris consentientibus, quæ ad missionem sanguinis requiruntur, mittere. A purgantibus verò medicamentis, nisi hoc evidens ratio suadeat, & necessitas postulet, abstinere. Scio Practicos, & inter hos Bayrum mirifice medicamentum quoddam vehementissime purgans commendare, ac memini non dissimile Duci Ferrariensi à Medicis præscriptum fuisse, hancque audaciam multos imitatos. Verum naturæ vim facere, atque præscriptum artis negligere minime medicum puto. Historiam, quam tu mihi narras, de quodam cacochymia laborante, qui articulari morbo oppressus, neque purgatus, in Carum inciderit, quo triduum laborans extinctus sit, veram esse credo. Iuvari ne purgante medicamento potuerit, vel malum hoc modo averti, causas consideranti non est obscurum. Defluere plerunque materiam morbi articularis a capite consentaneum est, licet magna pars ex reliquo corpore vel deficiatur, vel ad membra affecta deponatur. Iu hoc ægro somnolenta affectione cerebri affecto, caput laborasse, & materia obru-

obrutum fuisse, non est dubium. Per Enemata autem divertendam à capite materiam fuisse, quis non videt? Et quantum putas ea medicamenta, quæ humores omnes simul in toto corpore commovent, è capite elicere posse, præsertim si humor sit crassus, frigidus, & humidus, qualem in Caro esse, quem Latini Veternum, Arabes Subeth appellant, necesse est? Non disputo de vocabulis, sive carum, sive coma appelles. Coma interdum febrem præcedere, sæpe comitari constat. Humorem frigidum & humidum esse, cum sit somnolenta affectio, nemini ambiguum. Transmissum verò, vel cum impetu ad partem principem delatum, non arbitror, sed potius tenacius in cerebro hęsisse, neque potuisse à natura ad partes subjectas expugnari puto. Itaque in calefaciendo capite tota curationis ratio, mea quidem sententia, consistebat.

Deinde membrorum seu articulorum affectorum frictione, ut materia quasi ad fluxum concitatis doloribus irritata & repulsa à capite discederet. Movenda autem sternutamenta deinceps in ejusmodi affe-ctione,

ctione, cum anteriorem partem cerebri affectam esse constet, idoneis medicamentis, ac sicut in catalepsi posteriori parti cerebri calorifica remedia admovere conveniens, ita in caro anteriori adhibenda. Habes breviter quæ lecto affixus, & librorum ope destitutus ad tuam quæstionem respondere potui. Bene vale. Vratislaviæ kal, anuarii, Anno 1583.

VII.

Io. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Nudius quartus ad de scripsi, & literas ad Wolzogium misi. Interea advenit Hobergius qui tuas attulit. Consiliũ quod comiti Gurcano dedi in febri Marasmode, nihil de arthritide habet neque is ea laborat. Ostendere igitur volui, mihi displicere nova ista medicamenta sine judicio adhiberi. Quid verò de ligno ad D. Iordanũ scripserim addo, sunt autem hæc. De ligno sassifras significavi id quod est verissimum, me nunquam eo usum esse, nec videre quo pacto inveteratum morbum articularem curare possit. Fateor hujus morbi præ-

bi præcipuam causam esse serosum humorem in corpore supra modum auctum, & certo modo, sive putredine, sive alio corruptum. Is enim facit ut crassi & crudi humores sint fluxibiles, & ad articulos deferantur, in quibus & ipse inflammationis & doloris auctor est. Hujus rei illud indicio nobis esse potest, quod ii, qui frequenter sudant, vel copiose urinam emittunt, ab hoc morbo tuti sunt. Simulac verò sudor & urina supprimuntur, malum præ foribus sit. Itaque si quod deligno affirmant, potenter urinam educit, ac sudores movet, cõsequens est magnopere juvare posse. Cæterum cum calor nativus in membris diuturnitate morbi exhaustus est, & natura paulatim, imo continuo ad articulos humores deponere cõnsuevit, sane non video quid adjumenti adferre possit. Sed cum laudatores hujus ligni affirment, coctiones omnes, & maxime ventriculi illius usum juvare, caput roborare, cum etiam subducendo ichores, humores crassiores & quasi firmiores reddere necesse sit, non obsto, quin illustris Promarchio eo utatur modo rectam & exactam victus rationem

nem teneat. Vides, mi Monavi, me cum ratione uſum igni non improbare. In ſacculis de Arſenico nullam rationem reperio, præter illam, ut cor veneo aſſueſcat: Quam autem hęc infirma & periculoſa ſit, & hominem rectæ cenſcientiæ ſtudioſum minime ea uti deceat, ipſe intelligis. Etiãſi igitur ſexcentos autores, qui idem fecerint commemores, mihi non perſuadebis. Ac cum tantopere me urgeas, narro tibi verè Creckovium ita ex eo debilitatum, atq; in pectore exulceratum fuiſſe, ut cum magna indignatione in arce Gravenſteiniana facculum abjecerit. Poſſem alios recenſere. Theſſalum illum feliciter uſurpaſſo non credo, etſi minime dubito, quin iſta ſit audacia, ut hæc atque alia exhibeat: Nam ante paucos dies puero cuidam pulverem epilepticum ex cinnabare viva confectum dedit. Non velim hoc facere ſi omnes homines mihi autores eſſent, cum robuſta etiam corpora vix illius uſum ferant, & quam graviter ferant viderim. Sed cum audacia illi pro ſcientia ſit, atque in arte ſua medica Fierovantum, nebulonem peſſimum, qui Venetiis ejectus eſt, Ma-
giſtrum

gistrum hebuerit, hæc atque alia ab eo designari minime novum. Ea verò ut homines celet, nullum sibi incuratione adjunctum esse patitur. Sed de his nimium. Brassicanus male tibi narravit de foliis, si hyoscyami esse dixit. Non satis commemini qualia fuerint. Iberidis vel Tabaci fuisse arbitror, Certum non scio, nec caussam, quod in me memoriam tam longam & firmam requirere debeas puto. Dictarem plura si possem. Nam ad meum gravissimum morbum nudiustertius accessit dentis dolor, is deinceps autem & universum caput occupavit, abscessus in ore est consecutus: Itaque paululum quidem dolor remittit. Sed febris, quæ has fluxiones comitatur, ita me dibilitavit, ut ægre spiritum ducam, imo superiori nocte spiritum DEO meo redditurum existimaverim. Bene vale. Vratislaviæ xv, qui dies Cratoni Martyri in Calendario Romano est dicatus, Februar.
Anno 1583.

VIII.

VIII.

Io. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Amo tuam in ſcribendo diligentiam, & tibi gratias ago, cum frequentes litteras ad me mittis. Accepi aũt eas quibus tu XXVI. diem Ianuar. V. & VII. Febr. adſcripſiſti. In iis unũ te agere video, ut me ad editionem Conſultationem mearum Medicarum excites. Ego verò, mi Monavi, ſemper fui eo animo, ut prodeſſe quam plurimis ſtuderem, ac nunc ſum maxime. Sed quid poſſumus non valentes? eſt Weindrichius noſter eleganti doctrina & ingenio præditus, & poſſe illum aliquid præſtare fateor, ſed ubique meum ſenſum ipſum callere atq; tenere non poſſe ipſe intelligis. Ac ſi me jacentem videres, profectò deterreres potius à labore, quam ad eum ſuſcipiendum mihi autor eſſes. Cum belle valere aliis videor, in eas anguſtias ſubito redigor, ut de reddendo ſpiritu DEO meo ſit cogitandum. Nolo narrare meas miſerias, cum tuis Epiſtolis ſit perſolvendum. Illud unum affirmo & confirmabo, ſi vitam & vires

vires Deus suppetet, me officio meo non defuturum. Isto modo jacens & lecto affixus, ac dum surgere nequeo; vel ad meos libros respicere possum; quid faciam vel pollicear non habeo. Ad ζητήματα Medica tua nihil respõdeo, satisfaciet tibi, ut spero, exemplum Epistolę ad Ioachimum missæ, quod cum his erit. De Podagra vel articulorum morbo, cum præcipue indicationes à nocentibus & conferentibus sumantur, & omnibus, qui veram corporis sui curam gerunt, perspectum sit, tum minus à morbo periculum esse, cũ vel sudant, vel multum urinæ reddunt; Imminere autem malum quando serosa excrementa non expurgantur; satis evidens & magnum est indicium, serosorum humorum retentionem vel copiam in corpore auctam, hujus morbi præcipuam causam esse; & totam præcautionis rationem in eo consistere. Ne vel in corpore accumulentur, vel tempestive expurgentur. Deinde ut crassi quoque & crudi humores non sint nimii, atque membra exteriora vel debilitentur, vel calor naturalis in illis deficiat. Id si cavebimus; crassi humores absque tenuioribus non fluent;

neque membra laborantia eos suscipient, nisi longo morbo debilitata paulatim natura in ea deponat. Malo autem jam confirmato, præsertim in intemperantioribus, labor Medicus est irritus; Sicut & in illis qui nimio usu venereorum, vel cōmotionibus animi humores præcipitant, & calorē nativum exhauriunt, vel vino sese obruunt. Actu ægrotātes in tanta diversitate humorum curare difficile est, præsertim cum vix ullus Medicus tam sit perspicax, ut tēpora vera fluxionū possit discernere. Sed de his scripsi nuper, & profecto non sine magno labore ista dicto. Tibi tamen deesse, quando tanti facis nugas nostras, non debeo. Scribo nunc admonitiones quasdam de valetudine N. N. tuenda & recte curanda. Multa enim observavi, quæ fortasse aliorum cognitionem effugerunt. Alias etiam vias verę curationis pervestigavi, & remedia tutiora & faciliora reperi. Illud de Antimonio in Hydropicis, non ex animi mei sententia, verum aliorum scripsi semel hydropico persuasus dedi. Nihil profuit. Ne nocuerim Deo gratias ago. Medicamentum è raparum, succo atque camphora fateor

teor me præscripsisse multis. Sine ulla noxa datur; Sed raro juvat. Multo plus tribuo floribus persicis, qui siccati etiam & infusi mira facilitate humorem aqueum ex universo corpore per ventrem educunt, neque ullam noxam inferunt. Ad exiccandum autem, si quid intra abdominis musculos detinetur, Emplastrum è caprarum stercore cum cumino & aceto plurimum valet. De Thermis ac potius aquis frigidis Mandersdorffensibus cum multis erras. Perdunt articulorum doloribus oppressos, neque quicquam aliud, quam nitrum continent, parumque ab omnibus fontanis aquæ Viennæ, quæ omnes nitrosæ sunt, differunt. Sed apud multos opinio vim veritati affert. Nunquam his quatuor mensibus gravius & periculosius laboravi, quam superioribus proximis diebus. Heri, cum inedia confectus, multas libras pituitæ toto morbi tempore ejecerim, vino temperatissime sim usus, ac aliquot diebus ab eo plane abstinuerim, carnes modice attigerim, ac ne unciam quidem toto hoc mense comederim, tamen, ut dixi, he-

cis maculis aſperſo libro ſubtus flavo, vomitum ciere, & aquas ſeceſſu deturbare ſcribunt; & Tragus noſter hujus arboris flavum & medium corticem cum aceto tritum & illitum, ſcabiem intra paucos dies ſiccare & ſanare, tanquam ſingulare experimentum recitat; Putredini etiam dentium decoctum Corticis in aceto mederi, dolorem mitigare, & dentes purgare aſſerit. Scio Villebrochium habere quædam peculiaria, verum me tuta amplecti noſti. Ad alteram tuam quæſtionem, De coctione humorum in chronicis morbis, plurima poſſem reſpondere ſi vacuo animo eſſem, ſcis coctionem naturæ opus eſſe, non medicamenti. Quæcunq; igitur ad quandam æqualitatem calorem nativum perducunt, ea coctionem haud dubie adjuvāt, cum concoctio, teſte Galeno, nihil aliud ſit, q̃ maturatio quædam humorum, qui præter naturam adſunt. Sed de humorum præparatione quæ ſerapiis & ſimilib. medicamētis fit, te ſcribere arbitror. Sunt autem in chronicis morbis duplices humores peccantes: Vel aduſti, vel craſſi & pituitoſi. In vere aduſtis rectiſſima eſt præpara-

paratio per victus rationem humectantem & frigefacientem. Ea re in quartanis recte decoctum raparum, succum pomorum, & decoctum radicum borraginis, vel potius radicum eryngii exhibemus, quæ minus quam borraginis lentoris habent. In Biliosis nihil præstantius decocto radicum cichorii, etiam obstructionibus ac crudis humoribus præsentibus. Semper enim in chronicis morbis ad obstructiones respiciendum. Cum veró redundantis pituitæ manifestæ sint notæ, quid oxymellite, & præsertim tenui Cinnamomisato, ut ita loquar, quid succo & decocto cardui præstantius? Cæterum cum de præparatione humorum agitur in chronicis morbis, de iis humoribus, qui ad naturalem statum redire possunt, & quos contrariis alterari oportet, ut crassum & viscosum incidere, &c. loquimur. Nam qui nullo modo alterari, & ad naturalē statum redire possunt, ijs epicrasi, si purgari nequeant recte, neq; hoc vires concedant, medendum.

Sed noctuas Athenas ferre prohibemur. Habes de his præstantem monitorem Michaelem Villanovanum, qui præstan-

tiſſimum libellum de coctione humorum & uſu ſyruporum ſcripſit, ut de doctrina excellentiſſimorum duorum Medicorum Patavinorum Iohānis Baptiſtæ Montani, & Bernhardini Paterni nihil dicam. Pagellas noſtras Vallesianas accepi, in quibus quo plura lego, eo magis ſtyli duritiem, & ſcholaſticam quādam obſcuritatē. Theologis quidem propriam, Philoſophis barbaris nimis uſitatam, averſor. Sed cum laudatus ſit à nobis, & res bonas eſſe, quas proponit, nemini dubium ſit, duritatem orationis in iis, qui nullo uſu ea, quæ in animo ſunt, explanandi præditi videntur, ferre æquum eſt. Vtinam ſeculi noſtri Doctores in iis, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, cautius loquerentur, nec res divinas, per quas ad Deum, & veram lucē accedimus, obſcuritati verborum involuerent, ac tanquam noctuæ in tenebris latere perpetuo, quam lucem aſpicere deſiderarent. Certe oblatam lucem illos refugere, & veſpertiliones eos, qui offuſa ſempiterna nocte evolare, neq; in tenebras profundas ſcientes atque volentes ſeſe conjicere ſtudent, nominare eos apparet. Sed mittenda ſunt nomi-

nomina vera vel falsa, & Deus orandus, ut in veritate atque luce nos conservet. Bene vale. E Rucuriano x Iulii, Anno 1582.

VI.

Io. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Nondum quod sciam Ribischii auriga advenit, neq; post eas literas, quibus v. Decemb. d. adscripseras, ullas à te habui. De quæstione tua, sitne durantibus doloribus podagricis atque affluxu materiæ medicamentis purgantibus fluxus diversione inhibendus, à multis est disputatum. Rationi verò atque experientiæ contrarium, vel levioribus, vel fortioribus medicamentis hoc tentare videtur. Leviora enim materiam commoveat, & magis ad membra dolentia præcipitant. Fortiora in impuris corporibus ob non præparatam materiam, vim naturæ inferunt. Itaque rectissimum puto, sumpta indicatione à natura rei, cum podagra sub genere fluxionum & inflammationum, licet interdum non satis proprie, compræhendatur, enemate alvum, si astricta sit, movere, & sanguinem è media

cubiti vena, cæteris consentientibus, quæ ad missionem sanguinis requiruntur, mittere. A purgantibus verò medicamentis, nisi hoc evidens ratio suadeat, & necessitas postulet, abstinere. Scio Practicos, & inter hos Bayrum mirifice medicamentum quoddam vehementissime purgans commendare, ac memini non dissimile Duci Ferrariensi à Medicis præscriptum fuisse, hancque audaciam multos imitatos. Verum naturæ vim facere, atque præscriptum artis negligere minime medicum puto. Historiam, quam tu mihi narras, de quodam cacochymia laborante, qui articulari morbo oppressus, neque purgatus, in Carum inciderit, quo triduum laborans extinctus sit, veram esse credo. Iuvari ne purgante medicamento potuerit, vel malum hoc modo averti, causas consideranti non est obscurum. Defluere plerunque materiam morbi articularis a capite consentaneum est, licet magna pars ex reliquo corpore vel deficiatur, vel ad membra affecta deponatur. Iu hoc ægro somnolenta affectione cerebri affecto, caput laborasse, & materia obru-

obrutum fuisse, non est dubium. Per Enemata autem divertendam à capite materiam fuisse, quis non videt? Et quantum putas ea medicamenta, quæ humores omnes simul in toto corpore commovent, è capite elicere posse, præsertim si humor sit crassus, frigidus, & humidus, qualem in Caro esse, quem Latini Veternum, Arabes Subeth appellant, necesse est? Non disputo de vocabulis, sive carum, sive coma appelles. Coma interdum febrem præcedere, sæpe comitari constat. Humorem frigidum & humidum esse, cum sit somnolenta affectio, nemini ambiguum. Transmissum verò, vel cum impetu ad partem principem delatum, non arbitror, sed potius tenacius in cerebro hęsisse, neque potuisse à natura ad partes subjectas expugnari puto. Itaque in calefaciendo capite tota curationis ratio, mea quidem sententia, consistebat.

Deinde membrorum seu articulorum affectorum frictione, ut materia quasi ad fluxum concitatis doloribus irritata & repulsa à capite discederet. Movenda autem sternutamenta deinceps in ejusmodi affe-

ctione,

bi præcipuam causam esse serosum humorem in corpore supra modum auctum, & certo modo, sive putredine, sive alio corruptum. Is enim facit ut crassi & crudi humores sint fluxibiles, & ad articulos deferantur, in quibus & ipse inflammationis & doloris auctor est. Hujus rei illud indicio nobis esse potest, quod ii, qui frequenter sudant, vel copiose urinam emittunt, ab hoc morbo tuti sunt. Simul ac verò sudor & urina supprimuntur, malum præ foribus sit. Itaque si quod de ligno affirmant, potenter urinam educit, ac sudores movet, cõsequens est magnopere juvare posse. Cæterum cum calor nativus in membris diuturnitate morbi exhaustus est, & natura paulatim, imo continuo ad articulos humores deponere cõnsuevit, sane non video quid adjumenti adferre possit. Sed cum laudatores hujus ligni affirment, coctiones omnes, & maxime ventriculi illius usum juvare, caput roborare, cum etiam subducendo ichores, humores crassiores & quasi firmiores reddere necesse sit, non obsto, quin illustris Promarchio eo utatur modo rectam & exactam victus rationem

nem teneat. Vides, mi Monavi, me cum ratione usum igni non improbare. In sacculis de Arsenico nullam rationem reperio, præter illam, ut cor veneo assuescat: Quam autem hęc infirma & periculosa sit, & hominem rectæ censcientiæ studiosum minime ea uti deceat, ipse intelligis. Etiāsi igitur sexcentos autores, qui idem fecerint commemores, mihi non persuadebis. Ac cum tantopere me urgeas, narro tibi verè Creckovium ita ex eo debilitatum, atq; in pectore exulceratum fuisse, ut cum magna indignatione in arce Gravensteiniana sacculum abjecerit. Possem alios recensere. Thessalum illum feliciter usurpasso non credo, etsi minime dubito, quin ista sit audacia, ut hæc atque alia exhibeat. Nam ante paucos dies puero cuidam pulverem epilepticum ex cinnabare viva confectum dedit. Non velim hoc facere si omnes homines mihi autores essent, cum robusta etiam corpora vix illius usum ferant, & quam graviter ferant viderim. Sed cum audacia illi pro scientia sit, atque in arte sua medica Fierovantum, nebulonem pessimum, qui Venetiis ejectus est, Magistrum

gistrum hebuerit, hæc atque alia ab eo designari minime novum. Ea verò ut homines celet, nullum sibi incuratione adjunctum esse patitur. Sed de his nimium. Brassicanus male tibi narravit de foliis, si hyoscyami esse dixit. Non satis commemini qualia fuerint. Iberidis vel Tabaci fuisse arbitror, Certum non scio, nec causam, quod in me memoriam tam longam & firmam requirere debeas puto. Dictarem plura si possem. Nam ad meum gravissimum morbum nudiustertius accessit dentis dolor, is deinceps autem & universum caput occupavit, abscessus in ore est consecutus. Itaque paululum quidem dolor remittit. Sed febris, quæ has fluxiones comitatur, ita me dibilitavit, ut ægre spiritum ducam, imo superiori nocte spiritum DEO meo redditurum existimaverim. Bene vale. Vratislaviæ xv, qui dies Cratoni Martyri in Calendario Romano est dicatus, Februar.

Anno 1583.

VIII.

Io. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Amo tuam in ſcribendo diligentiam, & tibi gratias ago, cum frequentes litteras ad me mittis. Accepi aũt eas quibus tu XXVI. diem Ianuar. V. & VII. Febr. adſcripſiſti. In iis unũ te agere video, ut me ad editionem Conſultationem mearum Medicarum excites. Ego verò, mi Monavi, ſemper fui eo animo, ut prodeſſe quam plurimis ſtuderem, ac nunc ſum maxime. Sed quid poſſumus non valentes? eſt Weindrichius noſter eleganti doctrina & ingenio præditus, & poſſe illum aliquid præſtare fateor, ſed ubique meum ſenſum ipſum callere atq; tenere non poſſe ipſe intelligis. Ac ſi me jacentem videres, profectò deterreres potius à labore, quam ad eum ſuſcipiendum mihi autor eſſes. Cum belle valere aliis videor, in eas auguſtias ſubito redigor, ut de reddendo ſpiritu DEO meo ſit cogitandum. Nolo narrare meas miſerias, cum tuis Epiſtolis ſit perſolvendum. Illud unum affirmo & confirmabo, ſi vitam & vires

vires Deus suppetet, me officio meo non defuturum. Isto modo jacens & lecto affixus, ac dum surgere nequeo; vel ad meos libros respicere possum; quid faciam vel polliceat non habeo. Ad ζητήματα Medica tua nihil respōdeo, satisfaciet tibi, ut spero, exemplum Epistolę ad Ioachimum missæ, quod cum his erit. De Podagra vel articulorum morbo, cum præcipue indicationes à nocentibus & conferentibus sumantur, & omnibus, qui veram corporis sui curam gerunt, perspectum sit, tum minus à morbo periculum esse, cū vel sudant, vel multum urinæ reddunt; Imminere autem malum quando serosa excrementa non expurgantur; satis evidens & magnum est indicium, serosorum humorum retentionem vel copiam in corpore auctam, hujus morbi præcipuam causam esse, & totam præcautionis rationem in eo consistere. Ne vel in corpore accumulentur, vel tempestive expurgentur. Deinde ut crassi quoque & crudi humores non sint nimii, atque membra exteriora vel debilitentur, vel calor naturalis in illis deficiat. Id si cavebimus; crassi humores absque tenuioribus non fluent;

O neque

neque membra laborantia eos suscipient; nisi longo morbo debilitata paulatim natura in ea deponat. Malo autem jam confirmato, præsertim in intemperantioribus, labor Medicus est irritus; Sicut & in illis qui nimio usu venereorum, vel cōmotionibus animi humores præcipitant, & calorē nativum exhauriunt, vel vino sese obruunt. Actu ægrotātes in tanta diversitate humorum curare difficile est, præsertim cum vix ullus Medicus tam sit perspicax, ut tēpora vera fluxionū possit discernere. Sed de his scripsi nuper, & profecto non sine magno labore ista dicto. Tibi tamen deesse, quando tanti facis nugas nostras, non debeo. Scribo nunc admonitiones quasdam de valetudine N. N. tuenda & recte curanda. Multa enim observavi, quæ fortasse aliorum cognitionem effugerunt. Alias etiam vias verę curationis pervestigavi, & remedia tutiora & faciliora reperi. Illud de Antimonio in Hydropicis, non ex animi mei sententia, verum aliorum scripsi semel hydropico persuasus dedi. Nihil profuit. Ne nocuerim Deo gratias ago. Medicamentum è raparum, succo atque camphora fateor

teor me præscripsisse multis. Sine ulla noxa datur; Sed raro juvat. Multo plus tribuo floribus persicis, qui siccati etiam & infusi mira facilitate humorem aqueum ex universo corpore per ventrem educunt, neque ullam noxam inferunt. Ad exiccandum autem, si quid intra abdominis musculos detinetur, Emplastrum è caprarum stercore cum cumino & aceto plurimum valet. De Thermis ac potius aquis frigidis Mandersdorffensibus cum multis erras. Perdunt articulorum doloribus oppressos, neque quicquam aliud, quam nitrum continent, parumque ab omnibus fontanis aquæ Viennæ, quæ omnes nitrosæ sunt; differunt. Sed apud multos opinio vim veritati affert. Nunquam his quatuor mensibus gravius & periculosius laboravi, quam superioribus proximis diebus. Heri, cum inedia confectus, multas libras pituitæ toto morbi tempore ejecerim, vino temperatissime sim usus, ac aliquot diebus ab eo plane abstinuerim, carnes modice attigerim, ac ne unciam quidem toto hoc mense comederim, tamen, ut dixi, he-

ri, materia delata eſt ad dextrum pedem, & inflammatio conſecuta, quæ tantos dolores fecit, ut etiam ſomnum mihi ademerit. Profecto hoc in corpore macie contabeſcente fieri, monſtri ſimile eſt. Paulatim cor quietius eſt, & παλμὸς minus gravis. Quid de me futurum ſit, Deus novit ad quem omnia refero, & illius benignitati me mommitto & commendo. De Thracia abeunda, miror tibi ea quæ ſcribis in mentem venire Quid à barbaris præter barbariem referimus? Et quæ ſtultitia eſt, tot periculis ſe objicere, ut ea videas quorum recordatio per omnem ætatem doloris ſenſum adferat? Mirifice ineptos eſſe, qui ex ejuſmodi rebus laudem quærunt, vel ſcientiam, & magnarum rerum uſum ſe conſequi arbitrantur, exiſtimo. De Valleſio certe comperi eſſe in eo aliquod pagellas typis deſcriptas. Itaque cum Procœmium mutare non poſſem, Epiſtolam tuo nomini inſcriptam, quam eam vehementiam corrigo, addidi. Medici Poſnanienſes me de valetudine Comitis Andreæ Gurcani conſulverunt. Non ceſſit feliciter uſus illi ligni Saſſifras. Iterum Indica quædam

dam edita ſunt Venetijs,ut ex inſanis ſtulti fiant. Sapientiæ tamen de Coroneo ligno non accedo, & in decocto plura ſunt inſigni vi prædita,ut Zedoaria radix, Guaiacũ, &c.quæ longe vires Cotonei ſuperant. ſed de his ſcripſi nuper. Non video quid præterea tuis literis reſpondendum ſit, & dictando ſum defatigatus. Bene vale, & amicos ſaluta. Vratislaviæ XII. Feb. Anno 1583.

IX.

Exemplum Epiſtolæ miſſæ ad D. *Ioachimũ Camerarium Phyſicum Norinbergenſem.*

S. De Bolo tecum ſentio, in penuria Armenæ recte nos orientali uti Galeni, colore eſt pallido, & orientalis cum lavatur palleſcit. Lotione tamen nihil decedere illi ſatis apparet, cum aqua, quando ſubtiliores partes, quæ aquæ commiſcentur, ſubſident, ſit pura, & nullo ſapore prædita. Nec puto lotionem aliud præſtare, quam ut impura & arenoſa ſeparentur à partibus tenuioribus. Alia eſt ratio cum aloes vel metalla lavantur. Certe ea quæ Conſtantinopoli mihi miſſa eſt, etiamſi non ſit lota,

inſtar butyri tamen in ore liqueſcit. E Cappadocia importari Conſtantinopolin certum eſt. Itaque non pugnabo ſi Rubrica ſynopica appelletur. & ſi recte memini Plinius hujus tres ſpecies ponit. Terra ſigillata, quæ è Lemno affertur, ſemper eſt pallida, & Creta Anatolica vulgo dicitur. Galenus ſuum ſigillum Lemnium colore rubeſcente deſcribit. Itaque impoſtores ſæpe bolum admiſcent, ſicut Rubricæ ſynopicæ pinguedinem, quam vetuſtas prodit. Cum iſtę terræ mihi ſuſpectæ ſũt, ſolo cornu cervi utor. Meas Theſes nondum Latinas feci. Nec teutonicas, niſi prius quæ volo corrigam, in meo nomine apparere volo. Qua ſim ſententia quin publice ſcribas non obſto. I. Me peſtem non ponere ſub febre tanquam ſuo genere, etiamſi perpaucos ac nullos potius in peſte abſque febri mori putem. Seminarium inſpiratione haſtum καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν ſicut cætera venena calida & putrefacientia univerſi corporis vires, maxime cordis pernicioſe afficit. Aeris verò intemperies atque impuritas, ſicut & cibi corrupti ad diſpoſitionem ſaltem corporum faciunt; vel peſtem

(niſi

(nisi seminaria vel ex corporibus infectis exhalent,& inspiratione noxia sint,vel aliunde importantur)privatam, aut febrem pestilentem inferunt. II. Pestem enim aliam privatam, aliam publicam esse statuo. Privatam, vel à pravis humoribus ob victus pravitatem ortam, vel ex aeris constitutione mala, inde enim oriuntur febres pestilentes variæ, quæ non habent morbidam exspirationem, & paucis perniciosæ,neque contagiosæ sunt, nisi valde prædispositis. Publicam autem pestem non nisi ab aëre continente lethalia μιάσματα, à morbida exspiratione corporum humanorum,in quibus putredo ad istum gradum devenit, ut νοσερὴν ἀπόκρισιν contagiosam exhalent, tantum provenire statuo. Sæpe verò in privata peste accidere, ut ad hunc gradum putredo perveniat,ut corpora μιάσματα exhalent. Sæpe etiam alijs ex locis ubi publica pestis grassatur deferri, atque uno corpore infecto plurima deinceps infici, & ex ægrotantium atque morientium multitudine μιάσματα exitialia, atq; seminaria pestis in aëre augeri.

O 4 νοσερὴ

ησσηρὴ enim ἀπόκρισις alias in certo loco orta, exitiosa multis est, alias extrinsecus advenit, atque ita non uni urbi, sed toti regioni pestis infesta est. III. Vt verò gradus iste putredinis ignotus est Medicis; Ita & verũ remedium. Medicos autem conjectura rationali in ægris alias accedere propius ad cognitionem, & felicius in curatione procedere, cum ea, quæ putredini resistunt, adhibent, in aliis minus, verisimile est. Ratio tamen hoc dictat, cum inspiratione malum sit haustum, solam Diaphoresin indicari, & veram curationem esse, ita tamen cum seminarium inspiratione haustum spiritus nõ aliter ac venenum calidum & putrefaciens afficiat; ut ea quæ ad Diaphoresin faciant, simul ea quæ cor adversus vim venenatam muniant, & putredini inprimis adversentur, conjuncta habeant. IIII. Antidotum veram pestilentis veneni in divina manu esse, neque Medicis exploratam. Videre nos camphoræ, ambræ non cineritiæ, sed chryseæ, quæ ut sulphur ardet, effectiones, eas tamen non perpetuas esse. Herbas quasdam vulgares, ut Tanacetum, quam Athanasiam appellant, calendulam,

atque

atque alias æque, imo multo magis si tempestive exhibeantur, prodesse. Occasiones atque eventus providentiam divinam moderari. Nunquam tamen vni remedio semel exhibito securum esse debere, sed quamdiu malum est præsens, cordi omnibus modit auxilium ferre. V. Cum verò natura affecto crasso humore à seminario, ἀπόσκημμα efficit, & bubo consequitur, vel ex adusto & tenui atq; acri humore ἄνθρακες, vel ἐκθήματα & στίγματα exitialia apparēt, omnis in hoc Medico labor esse debet, ut naturam per loca convenientia se exonerantem adjuvet. Bene vale.

X.

Io. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Eas tuas litteras quibus Scutellarii addideras accepi. Nec habeo quid iis rescribā, Cum autem Scutellarii sit persolvendum, nolui sine meis ad te pervenire, & ne quid me tibi denegare, & invidentia mea occultare, ut falsissime accusor, arbitreris, pervulgata etiam recitabo. Non pauci Medici lignum sanctum, quod & Palum sanctum

ctum appellant, atque Guajacum, ejusdem esse arboris arbitrati sunt, verum Consalvus Ferrandus Hispanis, qui ipse in Indiis fuit, diversa esse ostendit. In Ferneliani libelli Consilio XII. quod Domino du Perat secundo dedit, bis, ni fallor, Palmæ sanctæ meminit. Illud verò consilium cum sit scriptum Anno 50. nec tum temporis Ligni sancti frequens usus fuerit, Guaiaci vero maximus, plane existimo Fernelium lignum Guajacum & sanctum pro eodem habere. Possum in hôc errare. Certum esse autem, posteaquam multis persuasum fuit, medullam illam nigram Guajaci plurimum gallicis prodesse, raro deinceps lignum sanctum cum Guajaco allatum. Cæterum quod in ea descriptione potus, quæ folio vigesimo primo est, Palmam sanctam, & Guaiacum ponit, Typographi errore factum puto, qui sæpe pro cinnamomo Guaiacum in isto libello scripsit. Quid enim tres drachmæ Guaiaci ad libras aquæ sex facerent: Sed utut sit, Guaiacum a Ligno sancto differre, & sanctum Lignum magis ventriculum roborare, atque in articularibus morbis, & omnibus, quæ à fluxioni-

xionibus oriuntur, prodesse, cum Guaiacum tantum in lue venerea adjuvet; exercitatis Medicis re perspectum est. Reperiri verò etiam nunc inter Guajacum lignum sanctum animadverti, & ipse satis magnum palum Ligni sancti ante annos quindecim Venetia accepi. Pondere, gravitate, & duritie parum differunt. Sed sanctum nigram medullam non habet, & cortices cineritii sunt. Affertur ex Insula sancti Iohannis, quemadmodum Consalvus ostendit, & Indos in lue Venerea exiguus ramulis descisis uti, atque singulari studio aerem & mulierum consuetudinem fugere affirmat. Magis profuisse ad multos alios morbos quam Guaiacum idem Autor affirmat, & inediam atque copiosum potum atque abstinentiam ab acidarum usu inprimis præcipit. Habes quæ de palma sancta scire voluisti. Vlmi decoctum nunquam propinavi. Corticum verò cum aqua salis decoctum dolentibus articulis felici successu sæpe adhibui, & contra defluvium capillorum in lixivio sum usus. Camutius post reditum suum ex Hispania,

cum

cum febre correptus esset, sibi ipsi sexagenario xxv. Vncias sanguinis detrahere est ausus. Nugatorem esse eum, qui de terra sigillata Anvvaldensi scripsit, ex literis Ioachimi, & aliorum intellexi. Verum bolum & veram terram sigillatam Turcas nobis invidere satis est perspectum. Bene vale. Vratislaviæ XXVII. Maji. Anno 1583.

XI.

Io. Crato à Krafthein, &c. Domino Petro Monavio, &c. S. D.

Crede mihi, mi Monavi, ipso morbo graviùs esse hoc quod defluxis & caducis bonis meo afflictissimo isto tempore cogitare cogor. Itaque & te sæpe oravi, ne quid de negotio meo disputares, vel ad me scriberes amplius. Verum tu tibi temperare non potes: Sed mitto ista. De cura febrium pestilentium significavi antea me sententiam meam Magnifico dño Schonfeldio scripto exposuisse. Non video cur eam mutem. Sæpe dedi pulverem lapidis Bezoar. Nihil profuit. Diasulphure utatur qui volet. Sulphur nostrum quomodocunque præparetur, etiamsi sudores propellat

pellat & siccet valde, maxime humanis corporibus est noxium. Imo vina fumo saltem imbuta non sine periculo bibimus. Decoctum lentium laudo, sed tamen non est similis ratio in exanthematis & petechiis utendi. Vnguentum ex Nitro Aetii in Italia miro successu semper est adhibitum. Post nonum verò diem elicere velle maculas inane est. Scarificatiões & omnes cutis exulcerationes plurimum laudo. Virium conservatio præcipue nobis debet esse curæ. Crede mihi potus continuus in quo sit cornu cervi plus auxilii, quam omnia alia medicamenta affert. Terræ Lemniæ, seminib. napi & acetosæ plurimum tribuo. Vinum fugiendum. A capite materia omnibus modis divertenda. Arnoldum multis annis non inspexi, sed ni fallor ille pilulas iuventutis Aloem rosatam vocat. Locum certe non possum significare, cum meos libros attingere nequeam. Tuas medicationes à Deo fortunari opto. Pestilentes fluxiones alui frequentes in Austria animadverti. Ad præcautionem conservam rosarum veterum cum Mirhtidato dedi. In curatione ad præpotentem causam

ſam reſpexi, ſtatim papyrum Mithridatô illitum vel umbillico, vel ventriculo appoſui. Clyſterem ex decocto hordei in jure carnis vervecinæ cum radicibus Tormentillæ & vitello cui ſemicocto per Clyſterem inieci. Pueris pulverem è Zedoaria, margaritis, & terra ſigillata dedi; addidi interdum Tragacantham. Multos beneficio Dei ſervavi. Ab iſtis magnis compoſitionibus Enematum, lacte uſtulato. & cæteris nugis abſtinui. Facile læduntur inteſtina, & ne lædantur adhibitis clyſteriis cautio eſt. De turpetho minerali ſcripſi publice Gallicos q hermetica cura ſemel uſi ſunt, eo juuari interdum non diffiteor. Audaciam noſtri N. N. & N. N. me nunquam probaſſe, non obſcure illis oſtendi. Neſcio an ipſi eo ſint uſi, ſed ut perierit uterq; non ignotum eſt. Alios etiam commemorare poſſem; niſi animus meminiſſe abhorreret. Nuncius de domini Trautſonii morbo valde me ſollicitat. Error eſt putare ſemina carminantia, ut vocamus, decocta, dolores à flatibus ſedare. De vino & uſu myrrhę puto me monuiſſe, & ſi quid volet plenius ſcribam. Melamocephalus

abeat

abeat & valeat cum ſuo Alchermes. Suaſi ne otantur lapide Lazuli & ſerico tincto granis chermes, verasq; curationes oſtendi. Si ſequentur conſilium meum haud dubie gratam & ſalutarem compoſitionem præparabunt. Vellem Claudium & Auberium Fallopii opera ad me mittere, cum Aubrii rogatu præfationem ſcripſerim ægerrime valens, ac potius uno die dictaverim. Adegit me maledicentia N. N. ut quædam ſcriberem, quæ ſcripta nolim. Ego periochen methodicam, ut pro D. Iulio Argenterio reſponderem, foras dedi. Mea cauſa cum nihil amici faciant, dum vivo mihi ipſi deeſſe non debeo. Mallem autem alios pro me ſcribere & loqui. Sed dormit vetus gratia. Bene vale. Vratislaviæ 24. Octobr. Anno 1584.

Bene-

Benevolo Lectori S.

Cum in præcedentibus consiliis aliquoties cauteriorum, & Thermarum Silesiacarum mentio facta sit, intermittere non possum: Quin de horum auxiliorum vsu, duorum præstantißimorum Medicorum sententiam, breuibus scriptis comprehensam, in fine horum consiliorum adiungam. Vt itaque hæc, qualiacunque sint, boni consulas, meumque studium in publicardis scriptis vtilibus æquo & candido animo ac pias, oro. Vale.

CLARISS. VIRI DOMINI D. HIERONYMI CAPIVACCII, Professoris Patavini;

DE RECTA CAVTERIORVM administratione:

In cauterio administrãdo quatuor sunt consi-

cōſideranda; Tempe nempe, quo excitari debet, Quantitas diſcreta, Locus ubi excitandum eſt, poſtremo loco, modus quo tractari oportet, Quib. cognitis nihil aliud in adminiſtratione cauteriorũ deſiderare oportet. Quare ne tempus in his, p̃ inutilia ſunt, cõteramus, dicendũ eſt, cauteria non alia ratione, à viris graviſſimis fuiſſe excogitata, quam ut eſſent inſtrumenta, quibus materia peccans, quæ paulatim in corpore generatur & colligitur, per loca minus incõmoda evacuaretur, ne vel ſui copia, vel prava qualitate partes corporis, vel principes, vel ad uſum vitæ neceſſarias perturbaret. Quæ buidem evacuatio tribus modis fieri poteſt, vel per revulſionem, vel per derivationem, vel per interceptionem.

Per revulſionem quidẽ, ut ſi materia, quæ à jecore ad caput defertur, per cauteriũ in crure dextro excitatum revellendo foras educatur, vel ſi materia ſalſa, q̃ in catharro ad pectus deſtillat, per cauterium in ſutura coronali affixum revellendo evacuetur.

Per derivationem verò, ut ſi materia, quę à capite ad pectus deſtillat, per cauterium in brachio excitatum ad partem ignobilem derivetur.

Per interceptionem denique, ut si materia, quæ à capite per spinalem medullam ad nervos ossis sacri, vel alterius partis defluit, per cauterium in occipitio affixum intercipiendo evacuetur.

Cauterium igitur cum sit materia seu instrumentū auxilij quocunque modo evacuantis materiam excrementitiam, quæ in corpore generatur, & cōgeritur, cujus generis quoq; potest esse fataceum, possunt esse vesicatoria, masticatoria, & errhina, necessario fit, ut ab eodom, à quo indicatur auxilium, indicetur etiam recta administratio materiæ ejusdem auxilij, diversa tamē ratione nihil prohibet ab una plura indicari. Quare si materiā sui copia seu qualitate peccantem spectemus, indicabit auxilium evacuans quod multiplex esse potest, pro ut multipliciter materia peccat. Verū nulla est materia, nullum est instrumentum, quod multiplici genori evacuantium magis & tutius accōmodari possint, quam cauterium. Nam sive peccet copia, sive motu, sive quiete, ad ipsam evacuandam cauterium erit maxime opportunum.

Illud igitur quod indicatur à materia,

hoc

hoc vel illo modo peccante, dicitur. Quid agendum, q nonnulli viri in hoc gymnasio almo Patavino celeberrimi, ausi sunt asserere, adeo esse manifestum, & unicuiq; notum, ut nulla penitus indigeat consultatione, imo fœminis, & barbitonsoribus esse notum. Quin imo hoc dicerent Galenum & Hippocratem, & omnes Dogmaticos tanquam ineptos, & in rebus inutilib. versantes redarguerũt, cum Galenus, & cum eo omnes gravissimi Medici, & in arte curandi, & in arte de tuenda valetudine nihil aliud contendant, quam ut doceant inventionem auxiliorum, & rectam agendorum, vel, ut verius dicam, materiarum administrationem, nec aliud quicquam docere debebant, aut poterant, cum tota curandi & tuendæ valetudinis ratio his duobus tantum perficiatur & absolvatur.

Cum igitur materia vitiosa sit illud quod primo, & per se indicat auxilium hoc vel illo modo evacans, ratio dictare videtur, ut ab his, quæ materiæ accidunt, & ipsam comitantur, sumatur materiæ administrandę indicatio, quemadmodum & ipse Galenus testatur. Accidit autem materiæ, ut agat in

corpus humanum, ut à medicamentis pati possit, neq; agere, neq; pati posset, nisi esset in corpore & existeret. Omne autem quod existit, alicubi existit. Hæc autem sunt, quę materiæ & unicuique indicanti seu scopo, seu proposito contingere possunt. Præter hæc non video, quid ipsi perpetuo accidere possit. Hæc itaque totam administrationis materiæ rationem præscribunt.

Quare si materiã vitiosam consideremus, ut hoc tempore & inpræsenti generatur, psentia hęc indicabit, hoc tẽpore cauteriũ esse inurendum, modo nihil adsit q̃ prohibeat & impediat. Verum quia repleto corpore periculum esset ne humores in toto peccantes merito doloris eo confluerent, & proinde inflammatio excitaretur, propterea ad cauteria non est accedẽtum, nisi corpus fuerit optime præparatum. Verum non sat erit novisse, quo tempore inurenda sint cauteria, sed quam diu aperta sint detinenda scire oportet. Hoc autem docebit præsentia humoris peccantis. Nam quam diu adest peccans, perdurabitque illius generatio, tam diu cauterium reclusum erit servandum, & hoc de tempore.

Post

Poſtquam cognoverimus, quo tempore cauterium ſit inurendum, vivendum erit quo loco. Hec autem nobis ſignificabit exiſtentia materiæ peccantis. Nam ſi materia generabitur in jecore & petat caput, ideo ut fiat revulſio ad partem ignobiliorem in dextro crure cauterium excitabitur. Quod ſi crura peteret, non in cruribus, ſed in brachio dextro erit affigendem. An verò in parte interiori cruris, an in parte exteriori ratio venarum ejus loci, in quo generatur materia, ad locum, in quo excitatur cauterium eſt ſervanda, quemadmodum & in miſſione ſanguinis ſervari debet, ut docuit Galenus in libro de natura hominis.

At verò ſi in parte ſiniſtra generaretur, & ſurſum in caput raperetur, in crure ſiniſtro, ſin ad inferiora in brachio ſiniſtro excitabitur. Quod ſi non moveretur, & generaretur in ventre inferiore, locus eſſet in cruribus, ſin à medio ventre, in brachiis, modo nihil prohibeat. Quod ſi in capite materia generaretur, neque moveretur in occipitio & in brachiis collocari poſiét, in ea potiſſimum parte, in qua mate-

ria resideret, tunc enim erit materia remedii derivantis.

At si moveretur ad pulmones, & in occipitio, & in sutura coronali probe fieri possent. Tunc enim essent instrumenta auxilii revellentis, & derivantis materiam quiescentem. Si tandem materia in capite generaretur, & ad spinalem medullam & os sacrum, ad lumbos cōflueret, tunc cauterium in principio spinalis medullæ erit admovendum. Vim enim habebit materiæ auxilii intercipientis. Et hæc de loco in genere.

Sed nnum est animaduertendum, in quo plerique decipiuntur; Cauterium nunquam esse excitandum in loco affecto, nisi dum materiam ibi impactam evacuare volumus, præmissa tamen totius corporis evacuatione seu purgatione, post cujus materiæ evacuationem occludendum erit, & si opus fuerit alibi erit affigendum. Nam si per locum affectum materiam fluentem euacure volueris, periculum est ne affluxu materiæ, & partis imbecillitate, inflammatio aliqua suboriatur quæ tandem in gangrænam degeneret.

Quod

Quod si quæras locum magis particularem, illud unum est præcipue animadvertendum; In capite fieri posse in sutura coronali, in occipitio, in palberis, in superciliis, & omnibus locis, in quibus pilorum generationem prohibere statuimus, nec non in angulis interioribus oculorum, in naso, ut polypus absumatur, & aliis pluribus in locis, in quibus ignis administratio opportuna videbitur.

Verum ut sutura coronalis observetur, patientē jubere oportet, ut masticet. Nam qnandoq; in sutura coronali cutis capitis moveri conspicitur. Quod si cutis non movebitur, neque ullum ipsius suturæ vestigium apparebit, tum radix palmæ ejusdem patientis fac ut summo naso admoveatur, & sursum extendatur. Nam ubi digitus medius attigerit, ibi suturam coronalem adesse existimandum erit.

Non solum autem in capite: verum etiam in brachiis, thorace, & aliis partibus excitari solent, ut in ore ventriculi, in regione hepatis & splenis, infra umbilicum, in inguine, in pube, in scroto, & præsertim genus illud, quod seraceum appellatur,

ſed potiſſimum in crure, in loco tribus aut quatuor digitis à genu diſtante, ubi muſculi manifeſto interſtitio diſtinguuntur. Tendines enim ſeu chordæ prope articulos carne ſunt denudatæ. Et hæc de loco dicta ſunt.

An verò unum, vel plura ſint affigenda cauteria, in nobis præſcribet materia, quæ in uno, vel pluribus locis generatur, vel ad diverſa loca movetur. Nam pro ut actio materiæ peccantis fuerit ſumma & vehemens, plura indicabit affigenda cauteria. Quod ſi remiſſa fuerit, unum cauterium ſufficiet. Actionum autem vehementem vel remiſſam nobis ſignificat, & materia copioſa, quæ pluribus in locis generatur, & quæ ad diverſa loca movetur. Et hæc de quantitate cauteriorum.

Poſtremo loco, cum cognoverimus quando ſit agendum, ubi agendum, & quantum agendum, reliquum erit ut cognoſcamus modum agendi, qui modus agendi ſumitur à materia, pro ut facile, vel difficulter cedit & patitur. Quare ſi materia fuerit copioſa, ut in corpore obeſo, vel plurimis excremẽtis redundante, cum

ſi ni-

ſi nihil aderit quod prohibeat, foramen amplum & profundum erit efficiendum. Prohibebit autem virtus, quæ cum in ſpiritibus, humoribus, & partibus ſolidis conſiderari poſſit, hoc loco virtus, quæ ad carnoſum genus pertinet, eſt illa quę amplum aut profundum foramen ꝓhibet efficiendum. Sunt enim quædam partes membranoſæ & cutaneæ, quæ profundum cauterium ſuſtinere nequeunt. In his itaque ulcuſcula, quæ excitantur, exuſtiones potius, quam fonticuli ſunt appellandi. Nam quæ proprie cauteria dici ſolent, in occipitio, in ſutura coronali, in brachiis & cruribus inuri conſueverunt.

Sed in his quoque partibus quandoque evenire ſolet, ut virtutis imbecillitate fonticuli excitari non poſſint. Fit enim interdum ut patiens adeo contabeſcat, & ſit emaciatus, ut ſolam carnem, oſſa, nervos & pellem præ ſe ferre videatur. Virtus itaque illa, quæ ad ſolidas partes, ad carnoſum genus pertinet, non modo non permittit amplum forramen; verum neque ullum erit efficiendum cauterium. Quod ſi nihil prohibeat, & paſſo materiæ ſit ſumma, id eſt,

ſi difficulter egrediatur, latum potius, quam anguſtum erit moliendum. Quod ſi paſſio materiæ non fuerit ſumma, imo facilis ſit exitus, minus amplum erit efficiendum:

At forámen amplum, vel anguſtum fieri poteſt, ut radice ariſtolochiæ ſeu aſphodelorum ſumme excalfacta, aut cum ſulphure incenſo, aut ligno, aut metallo, aut cauſtico. Ignis autem materia omnibus clementior eſt aurum, deinge argentum, poſtremum locum obtinet ferrum & æs. Cæſim, punctim, imprimi poſſunt, adiguntur, ut diximus, longius & latus, & in circulum circumferuntur, quæ omnia, ut dixi, paſſio materiæ evacuandæ, vel ſuapte natura, vel ratione loci nobis præſcribit, & ut hoc potius, quam illo modo fiat, hortatur.

Quod ſi cauſtico ſunt imprimenda, locum materiæ circumſcribere oportet nucali teſta, vel re alia ſimili, quæ ſuis marginibus conſtans pateat in medio. Ne veró ignis ſeu cauſtici violentia juſto latius ſerpat ac diffundatur, partes proximæ cerato roſaceo, vel ungēto ex ceruſſa, vel lini mēto ſim-

to ſimplici, vel cerato ex palmis, vel alio genere eorum, quæ ἀποφλεγμαίνοντα vocant, ſunt muniendæ.

Tam diu autem cauſticum immorari debet, quàm diu pars aut locus ipſe nigreſcat, id quod pro cauſtici vehementia, & natura partis dimetiri debemus, ſiquidem vehementi cauſtico in parte molliori citius fit impreſſio, quam in parte dura, quare id totum judicio Artificis eſt permittendum.

Cruſta verò ſive ἐσχάρα non eſt ſtatim detrahenda, ſed maturare prius oportet, ac veluti maturitate ſua excidere, alioquin vis adferri ſolet unde dolor, fluxio, & phlegmone, una cum febri, quandoq; excitatur. Tempeſtive deduci poteſt, ſi inſtar crucis incidatur, deinde vel ſolo butyro, vel cum adipe ſuilla ſine ſale admixto foliis braſſicæ excepto foveatur.

Cruſta detracta fiat pilula ex medulla ſambuci, quæ cum ſit mollis, blāda, & quovis modo tractari poſſet, ſi comprimatur, atq; in foramine compreſſa collocetur, ac ita ſtatuatur, ut loco dimoveri non poſſit, foliis verò braſſicæ butyro illitis foveatur,

charta-

chartaq; luſoria una cum petia ex lino duplicata comprimatur, & faſcia colligetur, hoc unum continget, ut ob pilulæ molitiem & lenitatem nullus excitetur dolor, & ob humiditatem utriuſque materiæ, ita imbuatur pilula illa, ut plurimum adaugeatur, quæ cum ob chartæ luſoriæ compreſſionem reſurgere nequeat, quam citiſſime ulcuſculum cavũ efficietur. Quod ſi loco chartæ lamina vel argenti, vel æris, vel alterius materiæ capiatur major fiet compreſſio.

Vlcere puantum ſatis eſt excavato, aut ambra, aut pilula ex cera, vel ligno hederæ, vel galerius aut pileus rotundus ex argento elaboratus, pluribus in locis perforatus in foramine continuo geſtandus erit, ſi foramen in ea latitudine conſervare volueris. Quod ſi latius efficere volueris, nihil erit accommodatius, quam pilula ex medulla ſambuci, aut melicæ. (eſt ſorgum, frumenti ſpecies) Pilula jam impoſita tunc folio hederæ, vel plantaginis, vel charta ſorbilla intra petiam lineam duplicatam uti poteris, cui puluinus, vel lamina, vel charta luſoria ſuperponatur, ut fiat compreſſio.

pressio. Bis autem in die & petias & folia immutare poteris, Neque pilula illa est indies extrahenda. Est enim necesse ut locum sibi paret, unde non facile excidat, indies tamen circumagi debet.

Quod si caro, ut sæpe fieri solet, & præsertim in principio succreverit, & luxuriaverit, labraq; promineant, tum fila (scilicet filamenta concerpta) aut spongia nova minutim incisa, vel combusta erit adhibenda, aut puluis aluminis usti, aut Ellebori nigri, aut corallorum rubeorum, aut præcipitati, aut æris usti loti, & similibus caro superabundans erit removenda. Ad validiora non est ut accedamus, nisi necessitate coacti. Et nullum auxilium magis est præsentaneum, quam carnem ipsam, & veluti semi mortuam omni diligentia circumcidere.

At si per ejusmodi cauteria nihil educeretur, ut quandoque enenire solet, sed veluti acida videantur, tuum erit ex his materiebus, qnæ vim habent attrahendi pilulam conficere, ut si fieret ex pice navali, cera & pulvere aut Ellepori nigri, aut colocynthidis cum foliis senæ. Nam pro natura

tura humoris peccantis hoc vel illo genere pulveris uti poteris. Et loco hederæ ceratum ex cera & resina pini.

Quod si ulcus callosum reddatur, & propterea nihil excernatur, tum scarificandum erit, deinde cucurbitula semel aut bis admovenda. Et si patiens scarificationem non admiserit, tum loco scarificationis, imponatur puluis savinę, vel calchanti usti loti. Si non cedit, ad mysi, ad præcipitatum optime præparatum est accedendum, quo tempore partes circumiacentes cerato diachylo cum gummi, vel sine gummi, vel cerato confecto ex cera & resina abjetina emolliantur.

Quandoque verò contingit, ut succi, qui ad fonticulos confluunt sint acres, mordaces, & veluti venefici, ac proinde partes proximas exulcerent, & non sine dolore excorient, quo loco oportunum erit partes spongia aqua dulci tepida imbuta fovere, deinde butyro, aqua malvarum optime diluto illinere, aut ungento ex cerussa camphorato ad formam cerati diducto occurrere.

Præ-

Præterea easdem excoriationes exiccabit serum lactis caprini chalybeatum, vel aqua hordei cum malva decocta, aut aqua sancti Petri, vel Aponensis, vel montis ægrorum. Et si contingat ob insignem humorum affluxum, ut fiat inflammatio. Cujus causa dolor excitetur, & corpus erit purgādum, & humeres reprimendi. Quare si inflammatio erit exigua ob humores jam fluxos, aut affluentes, sat erit vino austero loca illa fouere. Quod si satis insignis fuerit inflammatio tunc vinum erit alterandum cum rosis, cum malicorio, mastiche, & modico aluminis. Sed quia non ex æquo omnes humores redundant, sed magis peccat unus, quam alter, propterea non esset abs re, si pilula ex cera fieret, cui esset admista aliqua materia, quæ magis hunc quam illum humorem attraheret, ut supra dictum est.

Verum quia ne dum cito & tuto; verumetiam jucunde remedia sunt administranda, propterea ad vitandum pravum odorem, qui ex ulcusculis interdum exhalare solet, danda erit opera, ut petiæ, quibus patiens utitur sint odoratæ. Erunt autem

autem hujusmodi; si vel cum moscho, vel gossipio muschato, vel ambra, vel spica, vel lavendula, vel alia aliqua materia odorata assidue fuerint. Poteris etiam cauterium quandoque abluere saltem bis in hebdomata; Tempore æstatis cum vino albo odorato, vel aqua rosarum, vel oleo de spica, & aliquo consimili. Et hæc sunt quæ de cauterii administratione occurrerunt dicenda.

DE THERMIS HIRSCHBERGENSIBUS;

Clariss. Viro Domino Dno. Paulo Luthero, Medico Electoris Saxoniæ digniss.

S. Reversum me ex Thermis Hirschbergensibus, clarisime Dn. Doctor, appellavit Doctor Iohan. Knoblochius Excel. tuæ nomine, ut quæ mihi de illarum Thermarũ viribus, facultatibus, & lavãdi modo cognita essent, ea ordine Excellentiæ tuæ per literas exponerem. Subesse enim causas, cur hęc excellentia tua cognoscere cuperet. Ego verò cum excellentiæ tuæ nomini semper faverim, & hactenus nulla sese ob-

ſe obtulerit occaſio, qua noticia illa inter nos, Brandeburgi primum apud Erneſtum Reuchlinum cœpta, deinde hic Francofurti in nundinis renovata, in amicitiam verteretur: Libenter hoc qualecunq; officiolum in me recepi, paratus in multo majoribus Excellentiæ tuæ gratificari, ſi quid injungatur tale, quod à me præſtari poſſit. Quæ igitur à me nude & ſimpliciter ſcribentur, ea ut profecta ab animo optime erga Eccellentiam tuam affecto, in optimam quoque partem Excellentia tua accipiet.

In Sileſia non procul à montanis Bohemicis oppidum eſt Hirſchberg nomine, à nobis itinere quatridui diſtans. Ab eo non longe abeſt (nempe ſpacio dimidii milliaris) pagus quidam, qui à thermis ibidem ſcaturientibus nomen ſortitus eſt, & appellatur *Zum vvarmen Brunn.*

Ibi duę potiſſimum inveniuntur aquarũ medicamentoſarum ſcaturigines, q̃ quamvis exiguo intervallo inter ſe diſtant; tum in viribus earum nõ exigua eſt differentia. Vtraq; ſcaturigo colligitur in ſcrobe effoſſa, quælibet tamẽ in ſua propria, ut cõmodius inſeſſio fieri poſſit, quæ fit ad mentem uſq;

Differentię autem causa nominibus eas distinguunt, ut eam scaturiginem, quæ ligneo pariete & asseribus continetur, appellent vulgo, ligneum balneum. Eam vero, quæ foris lapidibus quadratis circũdata est, intus verò asseribus cincta, nominent lapideas Thermas. Ligneum balneum pauperi plebeculæ destinatum est, & omnibus patet. Ejus aqua plurimum sulphurea est, valde exiccat, ex alto trahit, discutit, &c. Ad ulcera κοκοηθῆ & diuturna valde efficax. Prætereà cachecticis & omnibus aliis, quibus totum corpus, vel una aliqua pars exiccatione, & calefactione indiget apprime utilis.

Hæc salutaris aqua cum nos advenîremus in Thermas, per influxum aliquot frigidarum scaturiginum prorsus erat vitiata, ut pro calida evaserit frigida, & protrudebantur quotidia ex lateribus scrobis feces argillaceæ, quæ tandem opplevissent totam fossam, nisi remedium huic malo inventum fuisset. Ego enim motus querelis & precibus pauperum, suam & Balnearum vicem dolentnm, egi cum Præfecto Kinastensi, qui tum à me curabatur, ut ligna

gna ad ædificandum idonea, & asseres se missurum promitteret. Pecuniã (quæ operariis danda erat) corrogavi, partim à Principe, partim etiam meam addidi, atque ita aversis primum frigidis scaturiginibus, deinde prorsus obstructis, effuso interim die noctuque fonte cincta est fossa duplici ligneo alveo, utroque satis valido & arctissime compacto, atq; undiquaque ita munito, ut nunc Thermæ priorem caliditatem, colorem & efficaciam receperint cum magna gratulatione & gaudio pauperum. Sed de hoc ligneo fōte nolo esse prolixior. Nam de altero, in quo & ego cum Illustrissimo Principe officii magis, quam necessitatis gratia lavi, malo plura dicere.

In his lapideis (ut appellant) Thermis, lavant ii tantum certis horis, qui non sunt de infima plebe. Neq; n. quemlibet erronem scabie scatentem, ulcera sua inferre sinunt. Et insident in alueum illũ homines ad summũ sex. Si qui supra hunc numerum se ingerunt, iis standum est toto lavationis tempore, nisi egressis aliquibus succedant.

Aqua harum Thermarum calida dicitur temperate, sed ut mihi videtur ultra

temperiem ad primum gradum accedit. Atq; inde colligo, quod ignis ſubterraneus remotior ſit a ſcaturigine, quodq; aqua illa extra canales cale fiat. Nam quo ignis vehementior, & aquis vicinior eſt, eo calidiores Thermæ, ut apparet in Carolinis. Hanc puto in itinere deferveſcere, ut minus ſit calida, ac temperiei propinqua. Sulphurea eſt, ſed longe minus, quam illa, quæ in ligneo fonte eſt. Præterea vim habet aluminoſam & ferream. Odor etiam bituminis aliquid ineſſe arguit, & cinerem inſuper ſecum vehit.

Bituminis igitur & ſulphuris ratione emollit & diſcutit, etiam tendones ſcirrhoſos. Ob alumen verò & ferrum aſtringit & corrobat. Itaquo propter mixturam prædictorum partim reſolvit, partim vim ac robur membris adjicit, & meatus coarctat. Hinc fit ut qui fluxionibus (ad ſcapulas, ad ſpinam, ad coxendicem, ad juncturas manuum & pedem) obnoxii ſunt, ad has potiſſimum Thermas ſe conferre ſoleant; & ſentiunt ſane ſe juvari, & aquam hanc minime inefficacem eſſe.

Vidi ipſe viros & mulieres pedibus captos

ptos in thermas inferri, poſt aliquot dies baculo innixos ingredi, ac tandem libere ſine ullo fulcro pedibus jam validis incedere. Aliquot Podagricis & Arthriticis q̃ carnes in pedibus habebant molles & flaccidas autor fui, ut eo ſe conferrent, & regreſſi ſunt ſani & gaudentes. Inſtructi autem à me fuerunt antea, ne prius ſe balneis committerent, quam adferrent corpus ad balnearum uſum recte præparatum.

Cum namq; Arthritis ex fluxione oriatur, ut arthrici ipſi teſtari coguntur, & ad fluxionem quamlibet quatuor illa concurrãnt; Materia ad fluxum idonea, membrũ mandans, viæ, & membrum recipiens. Ego priora duo in me recepi, primum ut materiam alioqui fluxuram, vel per venę ſectionem, vel per evacuationem per commoda intervalla detraherem, idq; ea moderatione, ne qua ſequeretur agitatio, quæ magno impetu fluxiones præcipitat ad membra debilia. Deinde ut membris mandantibus proſpicerem, habita ſimul & formitum & cloacarum corporis ratione. Itaq; & capitis repletionem minuere ſtudui, & exiccandis reliquiis non in capite ſolum; ſed in toto

quoq; corporis habitu intentus fui, atque interim viscera coctionibus destinata, præcipue ventriculum & hepar ad officium reducere conatus sum, cum constet hæc duo membra una cum ambitu corporis, & venarũ fomites esse repletionis capitis & fluxionum ad membra. Certe cum hi delirant Reges plectuntur Achivi. Nec minori cura ad cloacas corporis respexi, præcipue ad renum, & narium obstructiones, quæ mira dant arthritidi incrementa. Pleriq; etiam ex harum partium obstructione adventum paroxysmi sibi ipsis præsagiunt, non aliter, quam Gallinacei mutationem auræ.

Ac profecto non levis ansa redeundi paroxysmo datur, cum obstructis cloacis corporis retinentur ea, quæ naturæ ordine expelli debebant, & quasi regurgitatione quadam in membra à prioribus paroxysmis debilitata redundant. In ejusmodi fluxionibus renes semper suspectos habeo. Nullum enim hactenus vidi arthriticum (vidi autem quamplurimos) qui à calculo immunis esset.

Quicquid autem animaduerti reliquiarum superesse in corpore, id temperantia

in vi-

in victu, & exercitio moderato, nonnunq̃ etiam inedia & balneo laconico discussum est, ne novæ fluxionis materia coacervaretur. Vidi qui oleo vitrioli hanc materiam cõsumere & exiccare conarentur, eo quod vehementissime siccet & detergat, & initio sane juvamentum percipiunt ægri, cum inter utendum vẽtriculum adstringi, avidius appetere, & fluxionum materiam minui sentiunt, sed tandem cachecticos evasisse scio, ut interim de aliis morbis taceam.

Mihi sane suspecta est vis caustica, quæ remanet in eo oleo, etiã juxta Paracelsi doctrinam parato. In morbis quidẽ ex crassissimo phlegmate aliquoties usus sum, sed nulli autor esse volui, ut cõtinuata usurpatione aliquot guttarum moderatum calorem ventriculi, (qui coquendo destinatus est) obtunderet, & sanguinis bonitatẽ corrumperet. Si enim ab externis conjiciendũ est de internis, quid aliud in foco coquit, quam calor, & acida corrugare os ventriculi, & appetentiam excitare ex aceti usu novimus. Tales igitur qui assidue hoc oleo utuntur, etsi per aliquod tempus de bonitate appetentiæ, & fluxionum exiccatione

ſibi gratulantur, ad extremum tamen, & tempore procedente, nocumenta ventriculo, & reliquis membris illata, cum gemitu agnoſcere coguntur. Sed næ ego ineptio, qui de Thermis ſcribere exorſus ad hæc quodammodo aliena calami ductu deuolui me paſſus ſum. Pegam igitur ad reliqua,

Præparato ad Thermarum uſum corpore, reliqua eos ex Thermis expectare juſſi, nempe, viarum adſtrictionem, & menbri recipientis corroborationem. In arthriticis enim magna eſt viarum fluxionis amplitudo, & laxitas non viarum tantum, ſed & corporis. Eam corrigunt Thermæ vi aluminoſa & ferrea, deinde membra recipientia influxum ſunt debilia, vel propter ingenitam vitioſam proprietatem, vel propter laxitatem juncturarum, propter inferiorem poſitum, propter reſolutas vires ex antecedentibus paroxyſmis, &c. Vt influxionib. reſiſtere non poſſint; Sed eas prompte recipiant, & horum imbecillitati ſuccurrunt Thermæ. Sulphuris enim ratione reſolvitur & diſcutitur id, quod ſe in juncturas inſinuavit. Ferreautem & aluminis

artus

artus roborantur, astringuntur, densantur, ut fluxionibus minus pateant. Hinc itaque apparet ratio, cur fluxionibus arthriticis obnoxii has Thermas petant, quidque & quatenus, & quantum sibi ex iis polliceri possint.

Non tolerant autem hæ Thermæ Gallico morbo infectos. Sevissimi enim in iis cruciatus excitantur. Neque sufferunt leprosos, hydropicos, asthmaticos. Gulosos quoque plus lædunt, quam juvant. Cujus rei multa exempla vidi in Nobilibus, qui nullam quietem ventriculo relinquentes, & supra vires eum onerantes cibo potuque aut in febres inciderunt, cum corpora haberent cruditatum plena, quibus facile putredo induci potuit, aut deterioribus fluxionibus, & atrocioribus cruciatibus correpti sunt, quam priores erant, de quibus conquerebantur.

Oculis esse incommodam aquam, & alios conqueri audivi, & ipse sensi. Dicitur etiam Epilepsiæ invasiones reducere, quod tamen affirmare nolo. Si enim ita est, ob bitumen id fieri credo, quod in ea esse puto.

Porrò cum Thermæ in duplici usu habeantur, nempe, ad potum, & ad balnea. Hæ balneis potissimum serviunt, & externis quoq; vitiis utiles sunt, ut medicamentum topicum. Quanquam etiam potæ multis eximiam opem contulerint in gravibus morbis, ubi multa sumpta & admota nihil contulerunt. Vidi præter cæteros antequadriennium Vratislaviensam quendam, Horningum nomine, multo tempore colicis & articulorum doloribus excruciatum, consilio Vratislaviensium Medicorum, præter suam & amicorum spem ex potu ejus convalescere, elevatisq; in cœlum manibus DEO gratias agentem sanum discedere.

Mane post exhaustum & mundatum fontem, hauritur aqua recens (antequam quisquam insideat(scaturiens. Antea cantharus ad ipsam scaturiginem demitti solebat, ad excipiendam aquam purissimam. Fluebat enim per lapidem excavatum, tanquam per canalem. Sed ante biennium quidam, nescio an ex imprudentia, vel malevolentia, lapidem illum mala fide tractarunt, ut mutilato eo, perierit hæc

eom-

commoditas. Itaque nunc prope scaturiginem saltem, mundato fonte aqua hauriri potest. Haustum unum per alvum egregie purgare ajunt, & vidi hoc frequenter fieri in hominibus raræ texturæ, habentibus intestina acuti sensus, ita ut ex sorbitione saltem inde parata aliquoties egesserint. Mihi periculum bis facienti ut experiter, num hæc ita se haberent, non est mota alvus. Cumq; ex haustu satis magno ventriculum gravari sentirem, ab experiundo ulterius destiti. Nihil enim æque noxium est, quam aquam medicatam potam retineri in corpore.

Vrinas tamen valde ciet, idque verum esse testari possum. Hoc consilio Vratislavienses Medicos arbitror Podagricos & Ischiadicos, bene prius purgatos ad has Thermas mittere, ut potæ reliquias à partibus debilibus avertant, easque per alvum & urinam educant, deinde ut in sessione quoque membra debilia roborentur.

Verum tamen magis lavandi, quam potandi gratia itur ad has thermas, idq; potissimum in Maji medio, & frequentius in

Iunio. Nam ibi nivea montium cacumina aerem etiam in medio Majo plurimum refrigerant, & venti ſpirant frigidi. Puto autem cum membra roboris conciliandi gratia lavare conſilium eſt, aeris potius tẽperiem, quam menſium certorum delectum ſpectari debere, ne videlicet nuda corpora, vel nimio frigore (cui poſt lavationem exponuntur) offendantur, vel calore im̃ medico vires diſſolvantur. Cæterum quibus verno tempore Thermas adire non licuit, ii in Auguſti medio & Septembri ſe ad eas conferunt.

Solent magna ex parte centum horas balneis impendere, ſed ita diſtributas, ut à modicis initiis paulatim ad majora incrementa progreſſus fiat, donec ventum ſit ad ſenarium numerum, ultra quem non progrediuntur. Exẽpli gratia, Per biduum inſident ſingulis diebus hora una, ſequenti biduo adjicitur morę hora dimidia, tum ordine procedunt ad horas duas, tres, quatuor, quinque, uſque ad ſex, quoque diutius lavare conſtituerunt, eo pluribus diebus ſex horis lavant. Has tamen horas ita dimetiuntur, ut media pars illarum ante-

meri-

meridiano tempori, altera medietas pomeridiano tribuatur.

Primis insessionis diebus contrahitur venter, & augetur cibi appetentia, sed tamen oportet frugalius uti cibo & potu, quã pro consuetudine, hoc est, tantum sumere, quantum ventriculus concoquere possit. Nam qui cum cruditatibus insident, inflammantur, & torminibus cruciantur.

Vbi propemodum, ad summa perventum est; tum ratio iniri debet, an expediat diutius lavare, vel minus. Mihi sane nunquam placuit vulgaris ille modus præscribendi certas horas, cum ignoretur, quot quisque ferre possit. Alii enim diutius, alii minus perseverare possunt. Præterea pro ratione corporum in aliis efficacius, in aliis minus operantur Thermæ. Proinde præstare arbitror tempus balnei pro cujusque natura & viribus, ac operationis modo mensurare, in eoque (ut dictum est) per gradus progredi, ut aquæ vis sensim irrepens, in dissolutum laxumque corpus firmiorem impressionem faciat. Nam qui impetu aut saltu ad Thermas illas prosiliunt, aut æquo diutius in illis moram trahunt,

hunt, præsertim si cacochymica habeant corpora & intemperantiæ frena laxent, iis vel febribus corripiuntur, vel ulcera iis, aut exanthemata erumpunt, quorum nihil accidit iis, qui Thermis recte utuntur, ut hinc liquido appareat non Thermarum, sed male iis utētium culpa accidere, quod quidam languidiores redeunt, quam accesserant.

Postquam autem fere officio suo satisfecisse videntur Thermæ, tum ordine retrogrado quotidie de mora detrahitur, & iisdem gradibus diminuuntur, quibus antea augebantur horæ balnei. Neque enim vacaret periculo, si quis repente abrumpere lotionem, aut ab usu ejus nullo interposito temporis spacio desistere vellet. Metuendum siquidem esset, ne occursus extranei aeris repentinam aliquam alterationem induceret.

Vulgarium opinio est, tam diu lavādum esse, donec cutis rubescat & erodatur, *biß es außschleget*, & id tribuunt facultati & laudi Thermarum. Cumque illa cutis erosio seu exulceratio apparet, tum ad summum balnei perventum esse putant, & tum primum

mum de horis balnei aliquid remittere incipiunt. Ego verò cutis illas erosiones potius ex multitudine recrementorum, in non probe purgatis; ex cibis superflue, & non justò tempore assumptis, ex habitu corporis; ex diuturnitate balnei; & acrimonia provenire puto. Et sunt qui bis vel ter exulcerentur.

Arbitrantur autem è Thermis non discedendum esse; nisi sanata prius cute, quod fit, cum per continuationem balnei; materia paulatim per meatus digeritur. Metuunt enim ne scabiem auferant; quam non facile postea abigi posse ajunt.

Multi etiam quibus hora ad lavandum commoda contingere non potest; aut alioqui pro voluntate aquam Thermarum in alieno calefactam, in labrum infundi curant in eoque tot, quot volunt, horis desident. Sed viribus ejus aliquid decedere perhibent.

Transportata sane aqua in alium locum, non eã habet, quam in propria scaturigine efficaciam, cujus rei sæpe periculum fecerunt Hirschbergenses, qui saltem medio milliari

milliari absunt à thermis. Ditiores enim qui usu earum in gravibus malis liberati erant, curarunt aquam in oppidum transvehi, redeuntibus iisdem malis, ut ea calefacta, quomodo, & quando vellent, uterentur, verum nullam inde opem memorandam perceperunt, sed si sanari voluerunt, coacti sunt ad ipsam scaturiginem reverti.

Caput lavare aqua Thermarum non expedit, sicut alioqui in genere non consultum est thermis sulphur aut æs habentibus humectare caput. Ego quoties id feci, sensi nocumentum. Princeps tamen ultimis lavationis diebus embrocha seu instillatione uti solet, quæ ut minus sit noxia, & reliquias in capite absumat, incoquo herbas exiccantes & corroborantes caput, additis foliis senæ, Agarico, radicibus Asari, &c. Et quanquam mallem instillationem interdum ab ipso omitti, aut esse breviorem, cum sciam habere ipsum caput repletum vaporibus & negotiis, &c. Tamen conniuendum est interdum ad quædam, quæ frustra reclamentes mutare non possumus.

Ther-

Termis contiguum eſt balneum Laconicum, ſeu ſudatorium, cujus uſu corpus præparari poteſt ad lavacrum, ut apertis cutis meatibus, facilius aqua Thermarum ad interiora penetret.

Longe fortiores Thermis Hirſchbergenſibus ſunt Carolinæ, quæ calidæ & ſiccæ ſunt uſq; ad tertium gradum, & habent ſulphur-alumen, nitrum, ſuntque efficaciores ad membra reſoluta & contracta, diſcutiunt dolores ſpinæ, coxendicum articulorum, diſſipant crurum tumores flatuoſos & laxos, renumq; & veſicę calculos abigunt. Itaque Hirſchbergenſes mediocribus artuum malis, & rarioribus corporibus: Carolinę verò vehementibus, & pene doloratis nervorum morbis, & robuſtioribus corporibus convenire videntur. Præterea hæ diuturnis & contumacibus: illæ recentibus & non inveteratis malis magis ſunt commodæ.

Hæc habui, clariſſime Domine Doctor de Hirſchbergenſium Thermarum Viribus, & lavationis conſuetudine, quæ ut à me viſa compertaque ſunt, & ut in calamum venerunt, ita ad Excellentiam tuam

ſcribere volui, confiſus maxime humanitate tua à multis prædicata, & quod à Doctore Knoblochio intellexi Excellentiam tuam hoc ita à me fieri velle. Quod ſi hac in re voluntati tuæ ſatisfactum eſt, non omnino operam luſi, ſin minus peto, ne imperitia mea mihi apud Excellentiam tuam fraudi ſit, utque ea, quæ nullo alio conſilio, quam ut Excellentiæ tuæ gratum facerem, ſcribere inſtitui, bono animo accipiantur. Bono certe à me ſcripta ſunt. Bene valere Excellentiam tuam opto, rogoque in amicorum numero Excellentia tua mequoque numeret, & an hæ literæ redditæ ſint ſignificet. Datæ Francofurti ad Oderam 15. Iunii, Anno 1569.

T. Caſpar Hofman D. Electoris Brandeburgici Medicus ord.

MAGNI-

MAGNIFICO ET EXCELlentissimo Medico & Philosopho D. Petro Monanio Domino observantiss.

EXcellentissime vir: Literas tuas libenter legi, tum quia his amorem erga me tuum facile perspexi, tum etiam quia nonnullas dubitationes proposuisti, doctas sane, quæ te studiosissimum esse ostendunt: Sed cum solutiones harum cupias à me audire, opinionem meam brevissima oratione tibi scribere non gravabor, cujus brevi tatis in caussa sunt, publicæ lectiones, & ægrotantium hominum frequentes visitationes, quibus tota fere die impedior.

Dubitas primo de causa contentiva à me proposita, quid sit, & quid hac seclusâ morbus sit. Miraris valde, quod dixerim intemperiem, malam compositionem, & solutam unitatem esse causas morbi contentivas, cum omnis morbus sit vel intemperies, vel mala compositio, vel soluta unitas. Dicis postremo, causam contentivam realiter non differre ab antecedente & idem esse cum conjuncta.

Morbus, vir præstantissime; est facultas læsa, vel, ut alia voce utar, impotentia quędam hominis ad operandum: Hæc impotentia ad operandum cum sit quidam effectus, habet causam, à qua dependet in esse & in conservari. Hæc causa aliud non est, quam constitutio vitiosa organi animati; quod sane organum est pars vel similaris vel dissimilaris. Hæc autem vitiosa constitutio est, vel intemperies propria organi similaris, vel mala compositio propria organi dissimilaris, vel soluta unitas utrique communis. Vnde sequitur, quod hoc ordine homo egrediatur extra latitudinem sanitatis. Causa primo occurrit præter naturam, quæ operatur in organū animatum: Hæc vitiat constitutionem, hac vitiata, ilico sequitur læsio facultatis, & impotentia ad operandum. Quare vitiosa constitutio sive sit intemperies, sive mala compositio, sive soluta unitas, erit causa contentiva læsionis facultatis: Morbus ergo potest sumi bifariam: Vel sine causa contentiva; & hac ratione aliud non est quam impotentia ad operandum, & hoc modo sumptus, potest vocari morbus logi-

logicus: Nam ope ſolius intellectus abſtrahitur læſio facultatis à vitioſa conſtitutione, cum realiter non poteſt eſſe ſine vitioſa conſtitutione organi animati. Quando Galenus ait, omnem morbum eſſe vel intemperiem, vel malam compoſitionem, vel ſolutam vnitatem, ſumit malum una cum cauſa contentiva, quæ eſt vitioſa conſtitutio, & ut ſumitur à morbo juvantis indicatio: In hoc ſenſu dicebat in libro de optima ſecta non ſumi indicationem à morbo. Io hoc ſenſu rurſus dicebat in libris methodi, ſumi indicationem à morbo. Quod hoc ſit verum duo loca oſtendunt. Vnus eſt Galeni, alter Avicennæ. Galenus in 2. libro de natura humana ait, plenitudinem non eſſe cauſam contentivam morbi: & ita argumentatur Galenus: Morbus immediate lædit operationes.

Plenitudo uon lędit operationes immediate. Ergo plentudo non eſt cauſa contentiva: Ecce quod confundit cauſam contentivam cum morbo. Avicennas etiam in 2. Feu. primi libri tractatu primo ait: Eſſe tria genera ægritudinum. Vnum dicit, ſequi intemperiem. Aliud malam com-

plexionem: & tertium solutam unitatem. Dicit etiam inprima Fen. primi libri, causas formales morbi esse intemperiem, malam compositionem, & solutam unitatem. Hinc colligo, causam contentivam esse causam formalem, esse de essentia morbi, & ideo ab hac sumi indicationes curandi. Quod contentiva causa non differat realiter ab antecedente, & quod sit conjuncta, falsum est, quia causa antecedens & conjuncta sunt efficientes & ab his nō sumuntur, nisi indicationes præservatoriæ, quæ interdum communi modo loquendi dicuntur curativæ, quando scilicet corpus actu ægrotat: Causa contentiva est formalis & ab hac sumitur semper indicatio curativa & quia de nominibus parva est habenda sollicitudo. Synonymas puto has voces, contentivam, & continentem. Nec unquam legi partes continentes vocari ob id causas continentes morbi, sed materiales potius & subjectivas: Et hæc satis dicta sint de causa contentiva, &c.

Dubitas secundo, cur à me fuerint omissæ in curatione doloris capitis indicationes curativæ alias propositæ. Nam dolor

lor eſt ſymptoma, ſymptoma morbum neceſſario ſequitur & à morbo ſumuntur indicationes curativæ. Quare in curatione doloris capitis erunt hauriendæ indicationes curativæ.

Dolor poteſt ſumi bifariam. Vno modo formaliter, ut dolor eſt, alio modo cauſaliter. Indicationes, quæ ſumuntur à dolore, ut dolor eſt, duæ ſunt, ſenſus tactus obtuſio, & ejuſdem remotio: & ambæ ſunt præſervatoriæ, quia non concurrit dolor ad indicandum, niſi ut habet rationẽ cauſæ urgentis, unde ſequitur ex hoc, quod in curatione doloris, ut dolor eſt, non habeant locum niſi indicationes præſervatoriæ. Si conſideretur dolor cauſaliter, cauſa doloris vel eſt morbus vel eſt cauſa ſolum, & non morbus. A morbo ſumitur indicatio curatiua, à cauſa præſervatoria. Sed iſtæ indicationes. quæ præſente dolore ſumuntur vel a morbo vel cauſa, non ſunt indicationes à dolore, ut dolor eſt, ut ſcilicet eſt ſenſus objecti contriſtantis. Quare nullam adhuc video eſſe in meis dictis diſcordiam. Moneo te tamen, ne credas hanc propoſitionem, quæ dicit, ſymptoma ne-

çessario morbum sequi, esse universalem affirmativam, ut pleriq; arbitrantur. Nam est propositio affirmativa indefinita, quæ particulari æqui pollet. Nam falsum est, & ridiculum, quod omne symptoma necessario morbum consequatur, quamvis aliquod symptoma necessario morbum consequatur, & hoc symptoma est actio læsa facultate. Nam actiones omnes læsæ læsione facultatis morbū consequuntur, ut umbra corpus. Et ego existimo, dolorem esse actionem læsam, nō læsa facultate tactoria, sed ob externum errorē, &, quamvis morbus aliquando sit causa doloris, non ob id tamen ille morbus est morbus respectu doloris, sed respectu aliarum operationum:

Quæris, cur dixerim putrefactionem materiæ esse vitium ratione formę, & venenationem esse vitium merito organi formæ principalis: Vir præstantissime: Mixta similaria habēt in se formam, proprietatem, & complexionem: Forma est agens principale. Proprietas & complexio sunt instrumenta. Proprietas relata complexioni magis principaliter concurrit, & hoc colligi potest ex 1. cap. 3. de sympt. causis. Putredo,

do, autore Aristotele est corruptio. Corruptio autẽ est mutatio ab esse simpliciter ad non esse simpliciter. Esse simpliciter habet materia à forma. Non esse simpliciter contingit ex absentia & interitu formæ, q̃ forma corrumpitur à putredine per dissolutionem mixtionis. Venenatio consistit in occulta quadam proprietate adversāte cordi: Recte igitur putrefactio erit vitium merito formæ, & venenatio merito organi formæ principalis. Quantum attinet ad indicationem illam, an sit agendum, à quo scilicet desumatur. Hæc alia non est indicatio, quam agendorum indicatio, inventionis juvantium, & quid agendum. Nam quærere an sanguis evacuandus sit nec ne, est quærere, quid agendum, Et hæc indicatio sumitur ab essentia indicantis.

Quantum attinet ad viam cognoscendi ꝓhibētia. Ego sane puto nos arte aliqua venire posse in cognitionem prohibentium. Hæc aũt est methodus resolutiva, & demōstratio signi, quæ non spectāt ad artẽ curādi, sed ad partem medicinæ simioticen. Sit vena secanda, virtus vitalis prohibeat, pulsu cognoscitur virtutis vitalis infirmitas:

Hæc ſunt quæ pro temporis anguſtia potui breviter ſcribere, ut tibi Viro doctiſſimo, & mei amantiſſimo ſatisfacerem. Interim fac, ut me diligas & ſi quid aliud animum tuum perplexum reddit, protinus me certiorem facias, cum nihil mihi gratius poſſit in hac vita contingere, quam ſtudioſiſſimis viris & mei amantiſſimis morem gerere. Vale. Datum Patavii. Prid. Non. Novembr. Anno 1579.

Hieronymus Capevaccius.

Hieronymus Capeuaccius D. Petro Monavio S. P.

Vir Magnifice & chariſſime. Tardius ad te reſcripſi, quam ſtatueram occupationibus impeditus. Nunc verò ut tuæ morem geram voluntati, illud inprimis ſcias velim, nihil mihi moleſtius futurum, quam ut methodus curativa nobis inſcientibus imprimatur, præſertim cum nondũ extrema manus impoſita fuerit, & ſi quis adeo eſſet audax, ut imprimenda curaret, nequaquam permitteremus, ut publice venderetur. Curabimus tamen, ſi Deus dabit, ut brevi publice vel legendo vel ſcribendo in

do in communem utilitatem prodeat, atque cum ea fortasse doctrina de venenis erit conjuncta, in quibus utrisque multa desiderari possunt.

Sed accedamus ad dubitationes, quibus ut ordine respondeamus, illud inprimis statuendum est verissimum, esse in omnibus morbis causam contentivam, & habere locum, si tamen morbus capiatur pro vitio proprietatis, Tum enim morbus est in fieri. Quod si capiatur pro constitutione præter naturam, procul dubio ab eo sejungitur causa contentiva, cum sit in facto esse. Et quamvis ejusmodi morbus revera sit causa efficiens, habet tamen apud Medicos rationem formæ: Cum veró dicimus morbum fieri læsa facultate, non est credendum nos excludere morbos in mala compositione & soluta unitate, quandoquidem & ipsi fiunt læsa facultate non labefactata, sed impedita.

Nec duo tantum genera morborum constituere debemus, si partes similares à dissimilaribus per simplicitatem, & compositionem distinguantur: A dolore verò, ut dolor, non curativam, sed præservativam

tivā indicationem desumi posse existimamus, ut anodyna quandoque sunt frigida, quandoq; humida, quandoq; calida in primo. Neq; symptoma perpetuo cõsequitur morbũ, cum actio lædi possit non læsa, sed frustrata facultate ob errorem externum.

Etsi Galenus quandoq; dicat partes nostri corporis ab humiditate alterari & corrumpi, non tamen debemus statim inferre, ergo ab humiditate fit dolor, & si dicas, sententiam esse Hippoc. Dolorem fieri ex alteratione & corruptione, nos fateri debemus, dolores non fieri sine permutatione: Sed propositio Hippoc. intelligatur secundum subjectam materiam, hoc est si fiat, cum violentia, quod de humiditate nequaquam est dicendum. Quare si Galenus videtur quandoque dolores referre in humiditatem, non est, ut existimemus, in solam humiditatem esse referendos, sed quę conjuncta sit vel cum altera ex activis qualitatibus, vel cum materia. At fames fit ex privatione sicci. Ergo & redundantia humidi: Non valet consequentia:

Quod autem non agnoscis discrimen inter proprietatem & temperiem, mirum non

non eſt, quoniam & multi alii non agnoſcunt; nihil omnius ſi ſtatueris temperaturam in ſimilaribus facere proprietatem, compoſitionem in diſſimilaribus, ut voluit Galenus, non amplius admiraberis, cum ſine hujuſmodi proprietatibus actio nulla poſſit fieri.

Nec miramur, ſi non intelligis, quemodo mixti: forma ſemiputreſcat, quoniã id veritati repugnet: At nos cum dicimus materiam ſemiputreſcere; imitamur illos; qui appellant homines ſemivivos, & ſemimortuos, quorum tamẽ forma incorrupta manet. De ꝑmittentiũ verò & ꝓhibẽtium natura; quod ſcribis, te in ſententia noſtra acquieſcere nõ poſſe, non eſt mirãdum, ſi plura permittentia, plura prohibentia, quam tria quæris. Quod ſi ſtatueris tria tãntum eſſe permittentia & prohibentia, quemadmodum etiã tria indicantia tantum, cętera tria bæc circum ſcribere, & definire, & ſpecifica, imo ſiingularia reddere, ꝓcul dubio non amplius dubitabis; nec opus erit methodo ad inveniendum id quod ꝑmittit vel prohibet, cũ ſemper hæc tria ſint ſpectanda & ab his declinare nequaquam valeamus.

Poſtre-

Postremo, quod quæris, quæ natura fuerit illins morbi epidemici, qui superioribus diebus per universam fere Europam grassatus est: Si licet dicere quod sentimus, arbitramur merito causæ externam originem duxisse ab aeris constitutione: Sin internã, à materia catarrhali, quæ dum putrescebat, nunc febrem ephemeram, nunc putridam excitabat: Quemadmodum in febribus, quæ ex bubonibus fiunt, nec putamus, morbum fuisse contagiosum, præsertim apud nos, quoniam nec fuit perniciosus, imo brevi aut nullo etiam auxilio restituebantur. Hæc sunt quæ horis succisivis rescribenda duximus. Interim, vale, & nos, quod facis ama.

Hieronymus Mercurialis D. Petro Monavio. S. P.

Excellentiss. Domine: Vt tarditatem tuam in respondendo meis literis adeo eloquenter excusares, nulla certe aut animi mei erga te suspicio, aut tui error exigebant: Sed quod id peraccurate facere libuerit, insigni tuæ humanitati atque singulari erga me propensioni tribuo, eoque nomi-

nomine, quas possum, ago gratias. Etenim de equis illis jam Cratonis prudentissimi senis consilium secutus sum, atque in eo nunc multo magis lætor, cum video te quoq; summis rationibus ejuscemodi deliberationem commendare. Itaq; silentio illorum tractationi imposito, ad ea quæ ex me quæris venio: Verum contagium putredinis sobolem esse semper agnovi. Verum alterius non veri contagii, quod recẽtiores aliqui συμπάθειαν vocare maluerunt, causam haud putredinem esse, nulla scriptorum autoritas, nullave ratio vetat: Sic enim qui oscitantes vel sternuentes aspiciunt, eos pariter & oscitare & sternuere advertimus, cui non admodum dissimilem existimo fuisse eam contagionem, quã in præterita epidemica synochorum imputridorum constitutione affuisse non dubito. Scis enim putredinem febrilem nunquam contagiosam evadere, nisi ingens admodum sit, alioqui febres quælibet ex putrescentibus humoribus ortæ, cur non omnes essent contagiosæ? Iam verò nemo est qui non fateatur anteactas febres aut omnis putredinis expertes extitisse, aut

perexi-

perexiguam habuisse. Quomodo verò sympathiam aut contagii genus id existimaverim, potes in meis ad Cratonem literis facile cognoscere. Si Galenum nunquam errare potuisse, ut aliqui male cōscii prædicant. Existimas, jure quæris, quo pacto plumbum aereum simul & gravissimū sit: Sed si & Aristotelem & sensum, ac rationem, ut debes, sequi malueris, eum insigniter in plumbi natura indicāda lapsum esse fateberis. Nam metalla ex vaporibus tum aqueis, tum terreis vi caloris, ac frigoris conflari tam aperte demonstrant Peripatetici, ut nihil certius sit, quam aurum, plumbum, hydrargirum idcirco esse corpora gravissima, quod constent ex aqua, & terra optime percoctis, congelatis, & mixtis, sique hydrargiro motus ille perennis, & iximia tenuitas inest; nō ob aliud esse, quam ob aerem, qui non multus ob egregiam mixtionem aquæ congelatæ inclusus exitum quærens tantisper totum corpus ciet, donec vel igne, vel quapiam alia externa causa dissoluto illō corpore aqueo & terreo abit, simulque & terram & aquam dissolutam abire facit. Hæc ignorasse

asse grauissimum scriptorem Galenum
alde miror, aut saltem dissimulate, cum
cripsit, esse in plumbo multam substan-
iam humanidam congelatam aeream. &
aucam terream. Sed multo magis ipsius
implicitatem admiror, qui dixit, cauer-
osum esse plumbum, ac propterea pon-
lus ejus, ut statuarũ vincula probant, diu-
urnitate augeri, quod aerum sit. Etenim
ane nescio an Grammaticorum liberi eum
n modum philosopharentur: primum:
alde dubito, falsum esse plumbi pondus,
ut molem ulla ratione augeri, cum pene
contrarium exploretur in iis regulis qui-
ous culmina templorum cooperiuntur:
ed etiam si illud concessero, non quia ac-
eum augetur. Sed quia superficie ipsius
corrupta, terraq; & aqua dissolutis, utra-
umque pondus magis atque magis sese
exerit, corrumpi autem vitio aeris & tem-
oris plumbi superficiem ex eo facile con-
incitur, quod si vetustũ & usu consumptũ
liquetur, multo major recrementorum,
quam solidæ plumbi stubstantiæ copia ex-
abit. Habes, mi Monaui, quæ inter varias
isitationum & publicarum lectionum

occupationes tuis gravissimis dubiis hoc tempore duxi respondenda. In iis, si quid tibi à me satisfactum erit, pro lucro non exiguo putabo. Sin minus, spero, quæ tua est cunctis spectata probitas à te meas vires excusatum iri. Vale, meque, ut facis, ama: Patavii 17. Febr. Anno 1581. &c.

Petro Monavio, viro præclarissimo, Hieronymus Mercurialis S.

Optassem Monavi mi, aut plus otii mihi superesse, aut curarum minus habere, quo præclaræ tuæ pro Galeni circa plumbi naturam suscepta defensione disceptationi responderem: sed quia ea est omni tempore, & præsertim hæc nostri ordinis hominum conditio, ut vix tundendis unguibus præ infirmorum visitationibus, publicis lectionibus, atque studiis facultas concedatur, me excusatum iri apud te spero, si ea disputatione jam meis literis inchoata, tuis autem pene confecta, nunc dimissa, ad ea, quæ proposuisti problemata explicanda conuertar. Vbi prius tamen illud addidero, quod non recte in aliis meis percepisse videris, plumbi laminas sub dio,

lio, quemadmodum etiam peritissimus
atetur Agricola, idcirco auctas videri,
uoniam ipsarum pondus crescit: at-
ui crescit, non ab aliud, nisi quia cor-
upta ab ambiente modo calido, modo
rigido, superficie, partes aqueæ, & subti-
ores in cinerem vertuntur, unde vis illa
erreſtris, & ponderosa plumbi, quæ prius
b aqueis partibus veluti sublevata quo-
ammodo occultabatur, magis sese exe-
t, sicque jure pondus augeri videtur.

Nam idem plumbum, si comburatur,
ecima atque etiam amplius parte, quam
ntea ponderare conspicitur, non ab a-
ud, quam quod partes aqueæ in cine-
em, & terram conversæ pondus addunt,
cut aqueæ velut sustollentes corpus
lumbi levius reddebant. Nunc ad quæ-
ta: Scribis enim videri tibi, non levem
Aristotelis commentariis contradi-
ionem, quod 4. Problema. decimo-
uinto tradat, rem nullam in aqua lique-
ere posse, quæ igni liquefieri apta sit, ceu
umbum, & ceram. De quo postremo et-
m dubitas.

In commentariolo verò de admirandis

auſcultationibus ſcribat, ſtannum Celticũ multo citius plumbo liqueſcere, quia in aqua etiam liquefieri ſoleat. Ego autem nullam αἰτιλογίαν ineſſe, ſi ut par eſt, intelligatur uterque locus puto. Nam ſuapte natura & ut dicunt per ſe, nil poteſt in aqua liquefieri, quod idne liqueſcat: quemadmodum locutus eſt in problematis. Atqui nil prohibet, id per accidens poſſe contingere, eo nimirum pacto, quo ipſemet philoſophus in admirandis explicuit. Vbi ab externo aquæ frigore inteſtinum ſtanni Celtici calorem puſillum cogi, coactum augeri auctum liquefacere docet, haud ſecus atque grauiſſimus autor Theophraſtus in lib. de igne metalla in Ponto intra terram liquefieri indicavit, calore ſcilicet terræ ob aeris frigus intro collecto, & aucto.

Quod ſecundo loco poſtulas, ut cauſam reddam, ob quam in Germaniæ metallis ſales conficiantur in caldariis plũbeis, neq; ejuſmodi vaſa etiam vehementiſſimo igne incandeſcentia diſſolvãtur, haud ſane explicatu facile eſt. Tentabo tamen in re admodum dubia & obſcura, & à nullis forte propoſita, aut ſaltem exacte explicata ſententiam

sententiam meam aperire. Quæ enim summo frigido, sive humiditati, sive siccitati conjuncto sunt concreta, tunc dissoluuntur, cum humor congelatus solvitur, absumiturve, cumq; illa compages, & partium terrestrium unio corrumpitur. Quas res ignem suavi & calidissimum & tenuissimum efficere, apud omnes exploratissimum est. Itaque si aliquod reperitur, cujus facultate corporum hunc in modum concretorum humor congelatus servetur, simulque unio partium ab ignis violẽtia protegatur, plane indissolubile etiam igne tentatum evadere, rationi consentaneum erit. Hujusmodi autem est sal, nempe, qui sua pingui humiditate plumbi humidum à consumptione, & dissolutione tueri, facultate verò insigni, qua pollet, astrictoria compagem, & unionem partium ejus in medio flammarum cõservare, egregie valet, perinde ac experientia compertum est, si quis patellam chartaceam efficiat, eamq; oleo semiplenam supra prunas componat, minime chartam vi ignis consumi. Salem verò magnopere astringere, ita apud omnes compertum est, ut neminem sanum id ne-

gare posse existimem: quod etiam humiditate pingui, & oleosa polleat, præter Aristotelis id in Meteoro logicis, & Problematis asserentis auctoritatem extat locupletissimum Plutarc. testimonium in primo quæst. natural. nec non primo convival. problema. nono, tibi & salem marinam qui aquam oleosam esse, & propterea minus dulci pannis maculas cluere, minimeque plantas nutrire, imo verò eas necare disputat.

Cur autem dubites, cera ne liquescat in aqua? Occasionē certe nullam video, cum quotidiana experiētia doceat, ceram pannis adhærentem nulla aqua, sed solo ignis calore tolli: Habes nunc quæ pro tuis dubiis enodandis respondenda sum arbitratus. In iis si satisfecero, operam me non penitus perdidisse putabo. Sin minus, id & ingenii mei infirmitati, & rerum naturalium obscuritati, non autem voluntati, quæ semper in te propensa erit, tributum iri spero. Vale meq; ut facis, ama.

Dab. Patavii, 20. Decembr. 1583.

Hiero-

Hieronymus Mercurialis D. Petro Monanio. S. P.

Binas uno die à te accepi Epistolas, in quibus cum antiquis novas jũxeris disputationes, eo libentius inter multas quibus assidue premor occupationes, iis responderem aggrediar, quod præclara illa ingenii vis, quæ in cunctis tuis valde elucet, necnon singularis eruditio, atque eloquentia me ita acriter incendunt. ut tibi respondere in maximis studiorum atq; negotiorum meorum partibus esse putem. Illud autem inprimis te haud nescire opto, quas nuperrime vidisti de venenis, & puerorum morbis editas meditationes, ex iis esse, quæ cathedra nobis, velut œstro quodam percitis emissa celeri, ac non ita prudenti auditorum manu excipiuntur, at si quando quę aliqua minus elaborata, & firma eruentur, candido & ingenio lectori, nec ἀκρίβειαν illam mathematicam expectandi, neque protinus obtrectandi, aut acerbius contradicendi occasionem præbere debeant, cum plerumque minime elimata, imo verò non revisa ab ipsis profitentibus exeant. Scribis in tractatione puerilium

ægritudinuũ, me eam non exigui momenti disputationem omisisse, utrũ ipsismet pueris, an nutricibus postulante necessitate purgantia sint exhibenda medicamenta, tibique videri potius, pueros ea sumere debere, secusq; à me constitutum, vel suppositum videri. Ego verò impulsus eo Hippocratis oraculo, quo in VI. de mor. vulg. tex. 35. dixit Mulier, capra, elaterium, aut cucumerem sylvestrẽ edentes, pueris purgatio. Semper existimavi, multo tutius, per nutrices puellulos purgari, quam si ipsis quomodocunque parata exhibeantur medicamenta. Nam præterquam quod Medicos ab Hippocrate doceri scribit eo loci Galenus, ut sic medeantur pueris illa etiam ratio persuadere potest, quod etiamsi nutrices corpora sana habentes usu purgantium offendi queant, attamen multo melius resistere injuriis pharmacorum possint quam infantes, nempe qui ob corporum invaliditatem multo minus medicamentorum naturę humanæ adversantium vim sustinere possunt, succo vel substantia tota sumptorum, quam si eorundem vis sola castigata, atque ut ita dicam dulcorata,
lacti-

actialimento familiarissimo, & jucundissimo indita præbeatur.

Velles quoque in tractatione lumbricorum à me commemoratum esse id genus vermium, quod in jumentis plerunque, in vestratibus ausem pueris nõ raro fieri conspicitur, quodq; ab Avenzoare, & à Nicolo Florentino inter alia vermium genera fuisse propositum nõ ignoramus, cum scilicet in dorso vermis oritur, qui huc atque illuc perreptus carnesq; exedens bruta & pueros macie consumit. Ego verò sicut ejuscemodi ægritudinem à diacunculo veteribus nũcupato, nostrisq; in variis lectionibus tractato, non parum differre puto, sic deipsis, cum rarissime, vel nunquam in homine videantur, vel si unquam in homine apparent, inter lumbricorum genera non recenseantur, ad eum qui ipsos docet, haud ita pertinare tractatio videtur, quin possit jure aliquo præteriri, quãquam nec ego profitear, me cuncta esse adeo complexum, ut aliis etiam eruditioribus aliquid addendi, aut magis excolendi locum non reliquerim. Transis post hæc ad librum de venenis, in quo te primum offendi scribis,

 quod

quod constituerim venenum esse in substãtiæ, non autem, ut complures credunt, in qualitatis pręd icamento: addisq; me interdum vim veneficã in corpore positam, esse venenum asserere, interdum definire esse mistum. Ac propterea pugnantia dicere, quasi non idem sit, hominem esse animam in corpore positem, vel esse compositum ex animo & corpore. Sed quia hoc postremum luxuriantis ingenii argumentum est, ipso dimisso, ad id quod magis urges convertar, nimirum ut probem rationes quibus uteris ad probandũ esse in prædicamento relationis venenum collocandum, adversus meam sententiam non tantum habere momẽti, quin facile dilui queant: Nam ut hinc primum exordiar. Ea dicuntur ad aliquid ex Aristotele, quorum esse aliorũ est, aut aliquid aliquo modo dicitur. Primo modo plane ad aliquid, nec alimentũ nec venenũ dicitur, sed secundo modo, prout scilicet ad aliquid seu respectu alicujus, nẽpe hominis dicitur. Verum nec hoc pacto vere ad aliquid sunt, siquidẽ major pars venenorum æque alia bruta atq; hominem interimit, & multa etiam alimenta

menta sunt, non minus belvarum quam ominis. Sed concedamus esse ad aliquid enenum, quid prohibet unam & eandem em diversimode acceptam sub diversis rædicamentis collocari? Magnum & parum in quantitatis & relationis. Morbus & sanitas in qualitatis & relationis prædiamentis ponuntur: haud secus etiam forma substantialis in duobus prædicamentis st, cum forma quælibet sit alicujus forma. Quare de veneno quoq; dicere possumus, t refertur ab hominem esse ad aliquid. Vt erò mistum quoddam est esse propria forma, quæ est vis venefica. & subjecto, esse in rædicamento substantiæ. Quemadmoum compositum ex materia & forma, neue ipse unquam dicerem totum scorpinem aut totam viperam esse venenum, ed illius spirituosum corpus vi venefica ormatum, quod totum communicatur: Iujus autem corpus salivosum similiter onflatum, & morsu communicabile.

Nunc deinceps, quod quarto loco quæ is, an venena sint contagiosa, mea sententa est, corpora, q̃ veneno interempta sint, ninime alia inficere posse. Quod vis illa nõ modo

modo proprio subjecto jam exuta sit, verum etiam in cadavere extincta, ita ut si venenum integrum è corpore jam ab ipso necato extrahatur, atq; alteri cuidã præbeatur penitus inefficax, ulliq; alteri lædendo sit factum ineptum, neq; ab hac opinione me deflectit, quod in historiis Indicis habetur relatum, Cambaię provinciæ regem veneno nutritum ita evasisse venenosum, ut etiam muscæ ipsius autem exugentes veneno tactæ perierint, siquidem proprie id contagium, quod fit per cibi sumptionem, minime appellandum puto, & venenum id regis in corpore vivente, nec dum sua potentia perfunctum erat. Porrò venenum pestiferæ tabi cur proprie & ipsum venenum, cum cor petat, & statim perimat, non sit vocãdum, rationem nullam video. etsi inter hoc & alia, illud discrimen conspiciatur, quod pestilentia ubi aere infecto communicatur, vere contagiosa sit. Alia verò contagii veri sint expertia, etiã si interdum medio aeris vitam eximant.

Quod autem de Hippomane nugantur, jamdudum qui raro fallitur, esse fabulam docuit Aristoteles, sique philtra ullam nocen-

ocendi humanis corporibus ſuapte na-
ıra, non à cacodæmone commonicatam
abeant, eam minime veneficam dice-
em. Quoniam cerebrum potius, quam
or laceſſire, neque præſentaneam necem
fferre, ſed ut cæteri pravi humores, atque
gritudines paulatim videntur conſume-
e. Redis poſthæc ad plumbi naturam
ımpridem tractatam, in qua vix tibi per-
uadere potes, quomodo plumbi aqueis
c ſubtilioribus partib. ſub dio in cinerem
onverſis, vis terreſtris, & ponderoſa ma-
is ſeſe (quod ego dixi) exerat, quaſi aqueæ
artes magis debeant in halitus conſumi,
uam ullo pacto iu terreſtrem ſubſtātiam
enverti. Hoc autem facilius, ni fallor, di-
cere poteris, ſi partes illas non prorſus a-
queas. Sed etiam alicujus, ut ſic loquar,
erreſtreitatis participes eſſe cogites, ut
quemadmodū humiditas viridium ligno-
um cōbuſta multo plures cineres, quam
icca ligna deuſta facit, quod illa terreſtris
humiditas in cinerem vertatur. Sic humi-
ditas plumbi tenuior aliarum partium re-
ſpectu ſub dio cinis evadat, ac propterea
diſcluſo aëre, qui levitatem addebat, pon-
dus

dus paulo mȃjus appareat.

De plumbeis caldariis, quoniam meam ad problema tuum responsionem minime improbas, imo potius eam auctiorem, illustriorem, ornatioremque facis, & ingenii tui candorem, & eloquentiæ ubertatem, & eruditionis copiam etiam atque etiam laudo & amplector, nec ubi tanta claritas adsit, philosophicum puto, alia verba inutiliter adjungere. Itaque iis, quæ doctæ scripsisti, omissis, ad posteriorem libenter transeo, in qua quoniam primũ de liene disputas, quasi & ipse ἀντίστροφος in sanguine fabricando jecinori sit, meamque ea in re sententiam audire optas, libere dicam, ubi est tantus sapientum virorum ac tantorum seculorum consensus, me non facile moveri, quod unus vel alter ingenii lascivia quadam dissentire videtur.

Nam & ipse Galli cujusdam atque alterius scripta vidi, meaque in Bibliotheca habeo. quibus & à te propositis argumentis, & plerisque aliis docere nituntur, hactenus & veteres, & recentiores fefellisse, qui dixerint, lienis actionem esse sanguinem

m, & jecur à feculenta ac terrestri,
ncholicaque substantia deputare, i-
verò & ipsum non minus jecinore,
ninis perfectionem absolvere, præ-
nque pro sinistro cordis ventriculo
parare. Sed speciosæ quidem sunt
m rationes, quæ tamen paulo atten-
examinatæ debita firmitate carere
piciuntur. Vt enim verum est, fre-
nter naturam communes corporis
istros, vel geminos facere, vel in me-
aliquo loco collocare, sic non ita sese
necessitati adstrinxit natura, quin a-
ando ab hujuscemodi consuetudine
esserit, tunc præsertim, cum melioris
ujus rei gratia id fecisse visa est. Quo-
do enim natura potuisset duo ita va-
& toti corpori famulantia viscera in
dio subtus cor disponere? Quomodo
sus non supervacanea fuisset, si plura
guini efficiundo instrumenta condidis-
? Cui vinum sufficere poterat, & debe-
t: Quam rem cognoscens Aristoteles,
que cordi cuncta præcipua tribuens,
ius duxit illud solum veram sangui-
s officinam statuere, quam id muneris
plu-

pluribus impartiri: similitudinem aliquam genericam, aut etiam specificam habere posse structuram lienis cum iecinore non diffiteor, quoniam verò unaquæque peculiaris actio à proprietate partis efficientis nulli alteri communi proficiscitur, ut millies dixit Galenus, tantum abest ejuscemodi proprietatem sanguificam eandē in utroque viscere, esse, ut non minus terra à cœlo distet. Quæ mi Monaui, quæso est ratio ea, læsam sanguificationem atque vitia inde orta æque à lienè ac iecinore oriti & propterea debere lienem esse partem sanguinis effectricem? Nam ut de hydrope loquar, quem scribit Galenus necessario produci refrigerato iecore, quis ignorat à liene tumente, & refrigerato insigniter quoque refrigerari iecur, & subinde cachexias, hydropes, aliaque hujusmodi vitia succedere? De venenis, medicamentis, & cibis præclare, ut cuncta soles, disseruisti. Veruntamen, quod proponis venena variis patribus insidiarii, nec propterea unum cor omnia petere, jam puto me explicasse lib. 1. c. 11. Vbi eadem argumenta, atq; eandem difficultatem, quam tu, proposui,

simulque, ni fallor, enodavi, Quare
bi me aliqua saltem ex parte satisfe-
pero: sin minus, voluntatem saltem
te satisfecisse spero: sin minus, vo-
tem saltẽ meam probatã tibi iri con-
Vale, Patavii, die ultimo Martii 1584.

homas Erastus D. Petro Monavio Medico Cæsareo S. D.

Tu vero Petre doctissime, & clarissi-
sic flagitas responsum ad literas, quæ
Aug. inter cœnandum mihi sunt red-
, ac si de mea erga te optima voluntate
non constaret. Qui ante fui, nunc et-
sum, tui amantissimus, & tibi gratifi-
di cupidissimus. Quocirca non debes
e precibus contendere, quod à me tibi
ari præstarive posse arbitraris. Satis erit
ii, si te cupere intelligam. Itaque ut pe-
scrupulos tipi eximam, qui te vexant.
cilius erit hoc mihi, cum tu ipse ratio-
n viamque aperias.

Ex libellis nostris hanc te hypothesin
cerpsisse ais, Metalliica omnia in uni-
rsum, quovis modo parata, nec tuto nec
mmode intra corpus sumi. Non dixi ego

T metal-

metallica omnia noxia esse. An enim & salem inter metallica numerari non novimus? Sed & calchantum non adeo noxium esse affirmavi pag. 159. l. de auro potulento. Monui etiã plurimũ malitiã differre inter se, tum metalla tum metallica. Hæc hypothesis nostra est, metalla & his cognata, Msy, Sery, Hydrargyrũ, Stimmi, temere non esse devoranda, quovis modo sint p̃parata, præsertim vero si ignis vi sint cõcinuata. Si libelli principiũ attẽte considerasses, de metallis p̃cipue me agere animaduertisses. Nec ignoras, puto autores à metallis metallica distinguere. Cum deinde nobis das, non ita nos alere metallica, ut pro cibo quotidiano uti liceat, idem mox nobis rursus eripis. An enim quod alere nõ potest, corroborare, refocillare, in statu suo partes principes cõservare potest? Dico tibi hoc esse unum ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quot modis corroborari, & instaurari vires possint, pag. 91. & deinceps expositum invenies: Quæ si expendere voles, ultro in partes nostras descendes. Iterum repeto, impossibile est, sine alitione talia effici, qualia quintis metallorum essentiis, ac similib. ad-

scribi

ıudis ab horum pharmacorũ fabris.
: non recte credis experientiam te
cere posse testem: Sed, inquies tor-
n altere quidem ciborum instar, at
iil tamẽ alere. Ego vero nullo pacto
emõstravi, sed cincera esse pharma-
ıavi. Qui igitur constare ostendes,
nedico illa sæpe, quo ad has inten-
, utiliter adhiberi, maxime in animi
iis? Quid enim? An quæ animo de-
revocant, alere omnia possunt? Er-
igidæ aspersio, & nasi compressio,
rũ evulsio, & auricularũ vellicatio,
vẽtriculi confricatio, & artuũ con-
ligaturæque alunt. Aliud est spiritus
e, qui ad cor confugerunt atq; aliud
n nutrire: Infundimus eis etiam vi-
d celerẽ spirituum perditorum in-
ionem, sed id nutrit At metallica
triunt. Non igitur, vini modo, ju-
is te tuomet gladio iugulem? Haud
post ita scribis: Purgandi vires ple-
tinere, satis notum est. Item, neque
nficias juerim, quin venenata &
a aliqua qualitate participent: Si
æc sunt, ut certe sunt, quomodo
 alere,

alere, corroborare, refocillare dicis? aut qui credemus animo defectis per se prodesse? Per accidens aliquando juvare, nil forte vetat: Sed rationes expẽdamus, summam mistionis perfectionem in auro præsertim elucentem, ac gemmarum præstantiam lux & splendor ille præfulgidus satis patefaciũt, spiritibusq; nostris lucidissimis maximeque tẽperatis cognatas esse. Horum ratione facile adducar, ut credam ob illam sympathiam & symbolorum convenientiam spiritus etiam conservare, augere, ac velut ignavos ac deperditos specifica proprietate restituere. Aurum perfecte mistum concedo, quando perfecte mistũ vocas, cujus partes humidæ ita sunt cum siccis temperatæ, ut alteræ ab alteris sejungi nequeant: Hæc perfectio quid ad temperationem corporum nostrorum attinet? Mistio perfecta alio modo dicitur, quæ ad plurimarum & præstantissimarum actionum usum requiritur. Hac perfectione metallis nihil imperfectius, hominis corpore nihil perfectius in tota rerum natura invenitur, de qua re pagina 46 & deinceps multa disservi. Repeti superiora etiam

etiam hic possunt. Est enim impossibile, ut quæ alere non possunt, spiritus augeant ac deperditos restituant. Quare verba sunt inania: Specifica proprietas, per quam instaurantur spiritus, est proprietas temperamenti talis, cujus ratione alimētum aliquid est, ac fieri id potest, quod nos sumus: Quod cum negatum sit metallis, nullum hic locum habet de occulta alia proprietate commentum ullum. Quid vero lux, & fulgor gemmarum ad spirituum alitionem? Forte putas spiritus oculos habere, & etiam splēdore ingestarum gemmarum voluptatē capere. At dico tibi, tritas gemmas omnem fulgorem amisisse. Si lux indicaret spirituū cum lucidis rebus cognationem, quam multa, quæso te, forent eorum alimēta? Iam si venenatam qualitatē participarunt, si tanta corpus violētia purgant, qui spiritus restituant, augeant, conservēt? In his quia nihil animaduertisti firmitatis, ad alia transis. Si metallica pharmaca, inquis, repudias, quia corpus vehementer purgant) pleraq; purgare ultro nobis concedis) nulla purgantia intra corpus sumi oportebit: Quod cum sit absurdum,

istud tantum sequetur. Non cruda, & ita ut è terra eruuntur, ingerenda esse. Sed quemadmodum & reliqua purgatoria præparata prius, & aliis additis correcta: Non sequitur. Si metallicis purgatoribus utendum negē, ut etiam aliis interdicam. An si prohibuero Ellebori usum, tibi videbor etiam Rhabarbarum repudiare? Quia nocentiora sunt metallica ignium vi parata aliis purgatoriis, fugienda dicimus. At hæc respondebis: Non minus illis corrigi poterunt: Sit ita: Quæro ex te, cur tot sumptibus & laboribus metallica conquiras usu non satis comprabata, dum idē longe vilioribus, & multo usu probatis obtinere potes? An non summa fuerit demētia, ignota, preciosa, multo labore, & sudore comparata anteferre minus preciosis, notis, obuiis, dum non plus ex illis quam ex his commodi expectes? At validius agunt, inquies, & in parva quantitate. Audio. Sed hoc tibi repono, ob id esse nocentiora, quia minima eorum quantitas plus exagitat corpus, quam major aliorum quantitas. Si aliis adjectis retundi virtutem eorum dices, ut non magis infestent,
rursum

ſum parum prudenter ignota pro no-
eligi affirmabo, cum præſertim certus
e nequeas, utrum mali aliquid latenter
port imprimant, majoreque precio ve-
ant: Et cruda quidem corrigi poſſe haud
go. Ignium vi concinnata, an ſic tem-
rari queant, vehementer ambigo: Dixi
as crudi antimonii drachmam minus
vere, quatuor vel quinque granis præ-
rati: Veteres quoq; nonnunquam pur-
tionis cauſa metallica propinarunt, che-
ico artificio ignium maximorum vi ap-
rata nulli unquam exhibuerunt: Auget,
on minuit eorum malitiam præparatio
r ignes. Hoc tu negas: Quibus id ratio-
bus fretus neges, videamus. Multæ res
nt, quæ cum antea crudæ & ineptæ fo-
nt, ignis poſtea beneficio coctæ aptæ ef-
ciuntur ad corpus alendum. Teſtantur
carnes inprimis aſſæ, in quibus nemo
πύρευμα refugit. Si toto genere hæc dif-
rre dicas, vel unam ceruſſam tibi profe-
am, quam & refrigerare & ideo repelle-
e, emplaſticamque eſſe, ipſa evidentia
xperientiæ teſtatur. Cur hic ἐμπύρευμα
on urgemus cum tamen à plumbo uſto

aut parũ aut nihil differat? Plurima etiam ex metallis vi ignis liquatis, & puris ab impuris partibus secretis comparantur pharmaca, ut olea, liquores, vocati spiritus, quæ ad refrigerandum & humectandum intra & extra corpus utiliter exhibentur, ut liquor vitreoli, & oleum sulphuris, in quibus gustu etiam ipso nulla acredo deprehenditur. Taceo nunc aquas destillatas. Ad hæc ita respondeo. Nunquam ego dixi, omnia ab igne cocta, vel usta ἐμπύρευμα noxiũ acquirere. Imo ex Galeni & Diosc. autoritate, ut ipsam rerum inspectionem mittam, rem aliter habere ostendi pagina 134. Recte igitur tu toto genere differre dicis cibos, & metalla. Cæterũ cur metalla ἐμπύρευμα noxium retineãt, pag. 112. abunde exposui. Cerussæ exemplum, quæ res est facticia, & absq; igni omni paratur, tantundem ad rem facit. Si te sandycem intellexisse dicas, hãc ex cerussa, leviter usta fieri respondeo. Differt autem à plumbo usto plurimum cerussa, cum illud manifeste calidum, hæc frigida sit. Sed cui tu persuadebis, liquorem seu oleum calchanti ac sulphuris μαὶεμπύρευμα nullũ obtinere? Gustus,

ſtus,inquis acredinem non ſentit: Ferreus eſt ergo guſtatus tuus, ſi mordicationē nō deprehendit. Admove guttam integram linguæ aut gingivis,aut carni cute nudatę & utrum erodant videbis. Nō omnia quæ guſtus non percipit calida, vel frigida, talia non ſunt: Sæpe enim ſapor unius obfuſcat alium, ut non ſentiatur, tametſi plurimus adſit, ut in opio amaritas ſaporem tegit refrigerantium partium. Ita parum vini rubri vini albi multo copioſioris colorem obtundit,ut non videatur. Quoties operatio ſeu effectus adeſt caloris, nemo calorem adeſſe dubitabit, modo ab accidente nullo fallamur. Deinde lingua laxa cum ſit, cito penetrant per eam tantopere extenuata, ut minus eorum actio hic, quam in denſiori parte animaduertatur.

Miror vero, quorſum dicas, te non concedere, quę in dura corpora ſæviunt, mollioribus magis eſſe infeſta. Ego namq; fuſe docui ſatis, maxime calida, ſi exquiſite ſint extenuata propter celerem penetrationē minus laxis, quam denſis corporibus nocere pag. 114. Sed & Gal. de hac re multa cum alibi, tum ubi rubificantia, veſicato-

dus paulo majus appareat.

De plumbeis caldariis, quoniam meam ad problema tuum responsionem minime improbas, imo potius eam auctiorem, illustriorem, ornatioremque facis, & ingenii tui candorem, & eloquentiæ ubertatem, & eruditionis copiam etiam atque etiam laudo & amplector, nec ubi tanta claritas adsit, philosophicum puto, alia verba inutiliter adjungere. Itaque iis, quæ doctæ scripsisti, omissis, ad posteriorem libenter transeo, in qua quoniam primũ de liene disputas, quasi &ipse αὐτίστροφος in sanguine fabricando jecinori sit, meamque ea in re sententiam audire optas, libere dicam, ubi est tantus sapientum virorum ac tantorum seculorum consensus, me non facile moveri, quod unus vel alter ingenii lascivia quadam dissentire videtur.

Nam & ipse Galli cujusdam atque alterius scripta vidi, meaque in Bibliotheca habeo. quibus & à te propositis argumentis, & plerisque aliis docere nituntur, hactenus & veteres, & recentiores fefellisse, qui dixerint, lienis actionem esse san-

guinem

guinem, & jecur à feculenta ac terreſtri, melancholicaque ſubſtantia deputare, imo verò & ipſum non minus jecinore, ſanguinis perfectionem abſolvere, præſertimque pro ſiniſtro cordis ventriculo eum parare. Sed ſpecioſæ quidem ſunt eorum rationes, quæ tamen paulo attentius examinatæ debita firmitate carere conſpiciuntur. Vt enim verum eſt, frequenter naturam communes corporis miniſtros, vel geminos facere, vel in medio aliquo loco collocare, ſic non ita ſeſe huic neceſſitati adſtrinxit natura, quin aliquando ab hujuſcemodi conſuetudine diſceſſerit, tunc præſertim, cum melioris alicujus rei gratia id feciſſe viſa eſt. Quomodo enim natura potuiſſet duo ita vaſta & toti corpori famulantia viſcera in medio ſubtus cor diſponere? Quomodo rurſus non ſupervacanea fuiſſet, ſi plura ſanguini efficiundo inſtrumenta condidiſſet? Cui vinum ſufficere poterat, & debebat: Quam rem cognoſcens Ariſtoteles, atque cordi cuncta præcipua tribuens, ſatius duxit illud ſolum veram ſanguinis officinam ſtatuere, quam id muneris plu-

pluribus impartiri: similitudinem aliquam genericam, aut etiam specificam habere posse structuram lienis cum iecinore non diffiteor, qnoniam verò unaquæque peculiaris actio à proprietate partis efficientis nulli alteri communi proficiscitur, ut millies dixit Galenus, tantum abest ejuscemodi proprietatem sanguificam eandē in utroque viscere, esse, ut non minus terra à cœlo distet. Quæ mi Monaui, quæso est ratio ea, læsam sanguificationem atque vitia inde orta æque à lienè ac iecinore oriri & propterea debere lienem esse partem sanguinis effectricem? Nam ut de hydrope loquar, quem scribit Galenus necessario produci refrigerato iecore, quis ignorat à liene tumente, & refrigerato insigniter quoque refrigerari iecur, & subinde cachexias, hydropes, aliaque hujusmodi vitia succedere? De venenis, medicamentis, & cibis præclare, ut cuncta soles, disseruisti. Veruntamen, quod proponis venena variis patribus insidiarii, nec propterea unum cor omnia petere, jam puto me explicasse lib. I. c. II. Vbi eadem argumenta, atq; eandem difficultatem, quam tu, proposui,

posui, simulque, ni fallor, enodavi, Quare jam tibi me aliqua saltem exparte satisfecisse spero: sin minus, voluntatem saltem ex parte satisfecisse spero: sin minus, voluntatem saltē meam probatā tibi iri confido. Vale, Patavii, die ultimo Martii 1584.

Thomas Erastus D. Petro Monavio Medico Cæsareo S. D.

Tu vero Petre doctissime, & clarissime, sic flagitas responsum ad literas, quæ 26. Aug. inter cœnandum mihi sunt redditæ, ac si de mea erga te optima voluntate tibi non constaret. Qui ante fui, nunc etjam sum, tui amantissimus, & tibi gratificandi cupidissimus. Quocirca non debes à me precibus contendere, quod à me tibi curari præstarive posse arbitraris. Satis erit mihi, si te cupere intelligam. Itaque ut petis, scrupulos tipi eximam, qui te vexant. Facilius etit hoc mihi, cum tu ipse rationem viamque aperias.

Ex libellis nostris hanc te hypothesin excerpsisse ais, Metalliica omnia in universum, quovis modo parata, nec tuto nec commode intra corpus sumi. Non dixi ego

metallica omnia noxia esse. An enim & salem inter metallica numerari non novimus? Sed & calchantum non adeo noxium esse affirmavi pag. 159. l. de auro potulento. Monui etiã plurimũ malitia differre inter se, tum metalla tum metallica. Hæc hypothesis nostra est, metalla & his cognata, Msy, Sery, Hydrargyrũ, Stimmi, temere non esse devoranda, quovis modo sint pparata, præsertim vero si ignis vi sint cõcinuata. Si libelli principiũ attẽte considerasses, de metallis pcipue me agere animaduertisses. Nec ignoras, puto autores à metallis metallica distinguere. Cum deinde nobis das, non ita nos alere metallica, ut pro cibo quotidiano uti liceat, idem mox nobis rursus eripis. An enim quod alere nõ potest, corroborare, refocillare, in statu suo partes principes cõservare potest? Dico tibi hoc esse unum ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quot modis corroborari, & instaurari vires possint, pag. 91. & deinceps expositum invenies: Quæ si expendere voles, ultro in partes nostras descendes. Iterum repeto, impossibile est, sine alitione talia effici, qualia quintis metallorum essentiis, ac similib. adscribi

ſcribi audis ab horum pharmacorũ fabris. Quare non recte credis experientiam te producere poſſe teſtem: Sed, inquies forte, non altere quidem ciborum inſtar, at nonnihil tamẽ alere. Ego vero nullo pacto alere demõſtravi, ſed cincera eſſe pharmaca probavi. Qui igitur conſtare oſtendes, in uſu medico illa ſæpe, quo ad has intentiones, utiliter adhiberi, maxime in animi deliquiis? Quid enim? An quæ animo defectos revocant, alere omnia poſſunt? Ergo & frigidæ aſperſio, & naſi compreſſio, & pilorũ evulſio, & auricularũ vellicatio, & oris vẽtriculi confricatio, & artuũ contorſio, ligaturæque alunt. Aliud eſt ſpiritus evocare, qui ad cor confugerunt atq; aliud eoſdem nutrire: Infundimus eis etiam vinum ad celerẽ ſpirituum perditorum inſtaurationem, ſed id nutrit At metallica non nutriunt. Non igitur, vini modo, juvant. Vis tẽ tuomet gladio iugulem? Haud multo poſt ita ſcribis: Purgandi vires pleraq; obtinere, ſatis notum eſt. Item, neque enim inficias juerim, quin venenata & maligna aliqua qualitate participent: Si vera hæc ſunt, ut certe ſunt, quomodo

alere, corroborare, refocillare dicis? aut qui credemus animo defectis per se prodesse? Per accidens aliquando juvare, nil forte vetat: Sed rationes expĕdamus, summam mistionis perfectionem in auro præsertim elucentem, ac gemmarum præstantiam lux & splendor ille præfulgidus satis patefaciũt, spiritibusq; nostris lucidissimis maximeque tĕperatis cognatas esse. Horum ratione facile adducar, ut credam ob illam sympathiam & symbolorum convenientiam spiritus etiam conservare, augere, ac velut ignavos ac deperditos specifica proprietate restituere. Aurum perfecte mistum concedo, quando perfecte mistũ vocas, cujus partes humidæ ita sunt cum siccis temperatæ, ut alteræ ab alteris sejungi nequeant: Hæc perfectio quid ad temperationem corporum nostrorum attinet? Mistio perfecta alio modo dicitur, quæ ad plurimarum & præstantissimarum actionum usum requiritur. Hac perfectione metallis nihil imperfectius, hominis corpore nihil perfectius in tota rerum natura invenitur, de qua re pagina *46* & deinceps multa disservi. Repeti superiora etiam

etiam hic poſſunt. Eſt enim impoſſibile, ut quæ alere non poſſunt, ſpiritus augeant ac deperditos reſtituant. Quare verba ſunt inania; Specifica proprietas, per quam inſtaurantur ſpiritus, eſt proprietas temperamenti talis, cujus ratione alimẽtum aliquid eſt, ac fieri id poteſt, quod nos ſumus: Quod cum negatum ſit metallis, nullum hic locum habet de occulta alia proprietate commentum ullum. Quid vero lux, & fulgor gemmarum ad ſpirituum alitionem? Forte putas ſpiritus oculos habere, & etiam ſplẽdore ingeſtarum gemmarum voluptatẽ capere. At dico tibi, tritas gemmas omnem fulgorem amiſiſſe. Si lux indicaret ſpirituũ cum lucidis rebus cognationem, quam multa, quæſo te, forent eorum alimẽta? Iam ſi venenatam qualitatẽ participarunt, ſi tanta corpus violẽtia purgant, qui ſpiritus reſtituant, augeant, conſervẽt? In his quia nihil animaduertiſti firmitatis, ad alia tranſis. Si metallica pharmaca, inquis, repudias, quia corpus vehementer purgant) pleraq; purgare ultro nobis concedis) nulla purgantia intra corpus ſumi oportebit: Quod cum ſit abſurdum,

istud tantum sequetur. Non cruda, & ita ut è terra eruuntur, ingerenda esse. Sed quemadmodum & reliqua purgatoria præparata prius, & aliis additis correcta: Non sequitur. Si metallicis purgatoribus utendum negẽ, ut etiam aliis interdicam. An si prohibuero Ellebori usum, tibi videbor etiam Rhabarbarum repudiare? Quia nocentiora sunt metallica ignium vi parata aliis purgatoriis, fugienda dicimus. At hæc respondebis: Non minus illis corrigi poterunt: Sit ita: Quæro ex te, cur tot sumptibus & laboribus metallica conquiras usu non satis comprabata, dum idẽ longe vilioribus, & multo usu probatis obtinere potes? An non summa fuerit dementia, ignota, preciosa, multo labore, & sudore comparata anteferre minus preciosis, notis, obuiis, dum non plus ex illis quam ex his commodi expectes? At validius agunt, inquies, & in parva quantitate. Audio. Sed hoc tibi repono, ob id esse nocentiora, quia minima eorum quantitas plus exagitat corpus, quam major aliorum quantitas. Si aliis adjectis retundi virtutem eorum dices, ut non magis infestent, rursum

rursum parum prudenter ignota pro notis eligi affirmabo, cum præsertim certus esse nequeas, utrum mali aliquid latenter corpori imprimant, majoreque precio veneant: Et cruda quidem corrigi posse haud nego. Ignium vi concinnata, an sic temperari queant, vehementer ambigo: Dixi alias crudi antimonii drachmam minus movere, quatuor vel quinque granis præparati: Veteres quoq; nonnunquam purgationis causa metallica propinarunt, chemico artificio ignium maximorum vi apparata nulli unquam exhibuerunt: Auget, non minuit eorum malitiam præparatio per ignes. Hoc tu negas: Quibus id rationibus fretus neges, videamus. Multæ res sunt, quæ cum antea crudæ & ineptæ forent, ignis postea beneficio coctæ aptæ efficiuntur ad corpus alendum. Testantur id carnes inprimis assæ, in quibus nemo ἐμπύρευμα refugit. Si toto genere hæc differre dicas, vel unam cerussam tibi proferam, quam & refrigerare & ideo repellere, emplasticamque esse, ipsa evidentia experientiæ testatur. Cur hic ἐμπύρευμα non urgemus cum tamen à pumbo usto

quod constituerim venenum esse in substãtiæ, non autem, ut complures credunt, in qualitatis prędicamento; addisq; me interdum vim veneficã in corpore positam, esse venenum asserere, interdum definire esse mistum. Ac propterea pugnantia dicere, quasi non idem sit, hominem esse animam in corpore positem, vel esse compositum ex animo & corpore. Sed quia hoc postremum luxuriantis ingenii argumentum est, ipso dimisso, ad id quod magis urges convertar, nimirum ut probem rationes quibus uteris ad probandũ esse in prædicamento relationis venenum collocandum, adversus meam sententiam non tantum habere momẽti, quin facile dilui queant: Nam ut hinc primum exordiar. Ea dicuntur ad aliquid ex Aristotele, quorum esse aliorũ est|, aut aliquid aliquo modo dicitur. Primo modo plane ad aliquid, nec alimentũ nec venenũ dicitur, sed secundo modo, prout scilicet ad aliquid seu respectu alicujus, nẽpe hominis dicitur. Verum nec hoc pacto vere ad aliquid sunt, siquidẽ major pars venenorum æque alia bruta atq; hominem interimit, & multa etiam alimenta

limenta sunt, non minus belvarum quam hominis. Sed concedamus esse ad aliquid venenum, quid prohibet unam & eandem rem diversimode acceptam sub diversis prædicamentis collocari? Magnum & parvum in quantitatis & relationis. Morbus & sanitas in qualitatis & relationis prædicamentis ponuntur: haud secus etiam forma substantialis in duobus prædicamentis est, cum forma quælibet sit alicujus forma. Quare de veneno quoq; dicere possumus, ut refertur ab hominem esse ad aliquid. Vt verò mistum quoddam est esse propria forma, quæ est vis venefica. & subjecto, esse in prædicamento substantiæ. Quemadmodum compositum ex materia & forma, neque ipse unquam dicerem totum scorpionem aut totam viperam esse venenum, sed illius spirituosum corpus vi venefica formatum, quod totum communicatur: Hujus autem corpus salivosum similiter conflatum, & morsu communicabile.

Nunc deinceps, quod quarto loco quæris, an venena sint contagiosa, mea sententia est, corpora, q̃ veneno interempta sint, minime alia inficere posse. Quod vis illa nõ

modo

modo proprio subjecto jam exuta sit, verū etiam in cadavere extincta, ita ut si venenum integrum è corpore jam ab ipso necato extrahatur, atq; alteri cuidā præbeatur penitus inefficax, ulliq; alteri lædendo sit factum ineptum, neq; ab hac opinione me deflectit, quod in historiis Indicis habetur relatum, Cambaię provinciæ regem veneno nutritum ita evasisse venenosum, ut etiam muscæ ipsius autem exugentes veneno tactæ perierint, siquidem proprie id contagium, quod fit per cibi sumptionem, minime appellandum puto, & venenum id regis in corpore vivente, nec dum sua potentia perfunctum erat. Porrò venenum pestiferæ tabi cur proprie & ipsum venenum, cum cor petat, & statim perimat, non sit vocādum, rationem nullam video. etsi inter hoc & alia, illud discrimen conspiciatur, quod pestilentia ubi aere infecto communicatur, vere contagiosa sit. Alia verò contagii veri sint expertia, etiā si interdum medio aeris vitam eximant.

Quod autem de Hippomane nugantur, jamdudum qui raro fallitur, esse fabulam docuit Aristoteles, ssque philtra ullam

nocen-

nocendi humanis corporibus ſuapte natura, non à cacodæmone communicatam habeant, eam minime veneficam dicerem. Quoniam cerebrum potius, quam cor laceſſire, neque præſentaneam necem afferre, ſed ut cæteri pravi humores, atque ægritudines paulatim videntur conſumere. Redis poſthæc ad plumbi naturam jampridem tractatam, in qua vix tibi perſuadere potes, quomodo plumbi aqueis & ſubtilioribus partib. ſub dio in cinerem converſis, vis terreſtris, & ponderoſa magis ſeſe (quod ego dixi) exerat, quaſi aqueæ partes magis debeant in halitus conſumi, quam ullo pacto iu terreſtrem ſubſtātiam cenverti. Hoc autem facilius, ni fallor, diſcere poteris, ſi partes illas non prorſus aqueas. Sed etiam alicujus, ut ſic loquar, terreſtreitatis participes eſſe cogites, ut quemadmodū humiditas viridium lignorum cōbuſta multo plures cineres, quam ſicca ligna deuſta facit, quod illa terreſtris humiditas in cinerem vertatur. Sic humiditas plumbi tenuior aliarum partium reſpectu ſub dio cinis evadat, ac propterea diſcluſo aëre, qui levitatem addebat, pondus

dus paulo majus appareat.

De plumbeis caldariis, quoniam meam ad problema tuum responsionem minime improbas, imo potius eam auctiorem, illustriorem, ornatioremque facis, & ingenii tui candorem, & eloquentiæ ubertatem, & eruditionis copiam etiam atque etiam laudo & amplector, nec ubi tanta claritas adsit, philosophicum puto, alia verba inutiliter adjungere. Itaque iis, quæ doctæ scripsisti, omissis, ad posteriorem libenter transeo, in qua quoniam primũ de liene disputas, quasi & ipse αὐτίστροφος in sanguine fabricando jecinori sit, meamque ea in re sententiam audire optas, libere dicam, ubi est tantus sapientum virorum ac tantorum seculorum consensus, me non facile moveri, quod unus vel alter ingenii lascivia quadam dissentire videtur.

Nam & ipse Galli cujusdam atque alterius scripta vidi, meaque in Bibliotheca habeo. quibus & à te propositis argumentis, & plerisque aliis docere nituntur, hactenus & veteres, & recentiores fefellisse, qui dixerint, lienis actionem esse sanguinem

guinem, & jecur à feculenta ac terreſtri, melancholicaque ſubſtantia deputare, imo verò & ipſum non minus jecinore, ſanguinis perfectionem abſolvere, præſertimque pro ſiniſtro cordis ventriculo eum parare. Sed ſpecioſæ quidem ſunt eorum rationes, quæ tamen paulo attentius examinatæ debita firmitate carere conſpiciuntur. Vt enim verum eſt, freqnenter naturam communes corporis miniſtros, vel geminos facere, vel in medio aliquo loco collocare, ſic non ita ſeſe huic neceſſitati adſtrinxit natura, quin aliquando ab hujuſcemodi conſuetudine diſceſſerit, tunc præſertim, cum melioris alicujus rei gratia id feciſſe viſa eſt. Quomodo enim natura potuiſſet duo ita vaſta & toti corpori famulantia viſcera in medio ſubtus cor diſponere? Quomodo rurſus non ſupervacanea fuiſſet, ſi plura ſanguini efficiundo inſtrumenta condidiſſet? Cui vinum ſufficere poterat, & debebat: Quam rem cognoſcens Ariſtoteles, atque cordi cuncta præcipua tribuens, ſatius duxit illud ſolum veram ſanguinis officinam ſtatuere, quam id muneris plu-

posui, simulque, ni fallor, enodavi, Quare jam tibi me aliqua saltem exparte satisfecisse spero: sin minus, voluntatem saltem ex parte satisfecisse spero: sin minus, voluntatem saltē meam probatā tibi iri confido. Vale, Patavii, die ultimo Martii 1584.

Thomas Erastus D. Petro Monavio Medico Cæsareo S. D.

Tu vero Petre doctissime, & clarissime, sic flagitas responsum ad literas, quæ 26. Aug. inter cœnandum mihi sunt redditæ, ac si de mea erga te optima voluntate tibi non constaret. Qui ante fui, nunc etjam sum, tui amantissimus, & tibi gratificandi cupidissimus. Quocirca non debes à me precibus contendere, quod à me tibi curari præstarive posse arbitraris. Satis erit mihi, si te cupere intelligam. Itaque ut petis, scrupulos tipi eximam, qui te vexant. Facilius etit hoc mihi, cum tu ipse rationem viamque aperias.

Ex libellis nostris hanc te hypothesin excerpsisse ais, Metalliica omnia in universum, quovis modo parata, nec tuto nec commode intra corpus sumi. Non dixi ego

metallica omnia noxia esse. An enim & salem inter metallica numerari non novimus? Sed & calchantum non adeo noxium esse affirmavi pag. 159. l. de auro potulento. Monui etiã plurimũ malitia differre inter se, tum metalla tum metallica. Hæc hypothesis nostra est, metalla & his cognata, Msy, Sery, Hydrargyrũ, Stimmi, temere non esse devoranda, quovis modo sint pparata, præsertim vero si ignis vi sint cõcinuata. Si libelli principiũ attẽte considerasses, de metallis pcipue me agere animaduertisses. Nec ignoras, puto autores à metallis metallica distinguere. Cum deinde nobis das, non ita oos alere metallica, ut pro cibo quotidiano uti liceat, idem mox nobis rursus eripis. An enim quod alere nõ potest, corroborare, refocillare, in statu suo partes principes cõservare potest? Dico tibi hoc esse unum ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quot modis corroborari, & instaurari vires possint, pag. 91. & deinceps expositum invenies: Quæ si expendere voles, ultro in partes nostras descendes. Iterum repeto, impossibile est, sine alitione talia effici, qualia quintis metallorum essentiis, ac similib. ad-

scribi

scribi audis ab horum pharmacorũ fabris. Quare non recte credis experientiam te producere posse testem: Sed, inquies forte, non altere quidem ciborum instar, at nonnihil tamẽ alere. Ego vero nullo pacto alere demõstravi, sed cincera esse pharmaca probavi. Qui igitur constare ostendes, in usu medico illa sæpe, quo ad has intentiones, utiliter adhiberi, maxime in animi deliquiis? Quid enim? An quæ animo defectos revocant, alere omnia possunt? Ergo & frigidæ aspersio, & nasi compressio, & pilorũ evulsio, & auricularũ vellicatio, & oris vẽtriculi confricatio, & artuũ contorsio, ligaturæque alunt. Aliud est spiritus evocare, qui ad cor confugerunt atq; aliud eosdem nutrire: Infundimus eis etiam vinum ad celerẽ spirituum perditorum instaurationem, sed id nutrit At metallica non nutriunt. Non igitur, vini modo, juvant. Vis tẽ tuomet gladio iugulem? Haud multo post ita scribis: Purgandi vires pleraq; obtinere, satis notum est. Item, neque enim inficias juerim, quin venenata & maligna aliqua qualitate participent: Si vera hæc sunt, ut certe sunt, quomodo

alere, corroborare, refocillare dicis? aut qui credemus animo defectis per se prodesse? Per accidens aliquando juvare, nil forte vetat: Sed rationes expēdamus, summam mistionis perfectionem in auro præsertim elucentem, ac gemmarum præstantiam lux & splendor ille præfulgidus satis patefaciūt, spiritibusq; nostris lucidissimis maximeque tēperatis cognatas esse. Horum ratione facile adducar, ut credam ob illam sympathiam & symbolorum convenientiam spiritus etiam conservare, augere, ac velut ignavos ac deperditos specifica proprietate restituere. Aurum perfecte mistum concedo, quando perfecte mistū vocas, cujus partes humidæ ita sunt cum siccis temperatæ, ut alteræ ab alteris sejungi nequeant: Hæc perfectio quid ad temperationem corporum nostrorum attinet? Mistio perfecta alio modo dicitur, quæ ad plurimarum & præstantissimarum actionum usum requiritur. Hac perfectione metallis nihil imperfectius, hominis corpore nihil perfectius in tota rerum natura invenitur, de qua re pagina *46* & deinceps multa dissérvi. Repeti superiora

etiam

etiam hic possunt. Est enim impossibile, ut quæ alere non possunt, spiritus augeant ac deperditos restituant. Quare verba sunt inania; Specifica proprietas, per quam instaurantur spiritus, est proprietas temperamenti talis, cujus ratione alimẽtum aliquid est, ac fieri id potest, quod nos sumus: Quod cum negatum sit metallis, nullum hic locum habet de occulta alia proprietate commentum ullum. Quid vero lux, & fulgor gemmarum ad spirituum alitionem? Forte putas spiritus oculos habere, & etiam splẽdore ingestarum gemmarum voluptatẽ capere. At dico tibi, tritas gemmas omnem fulgorem amisisse. Si lux indicaret spirituũ cum lucidis rebus cognationem, quam multa, quæso te, forent eorum alimẽta? Iam si venenatam qualitatẽ participarunt, si tanta corpus violẽtia purgant, qui spiritus restituant, augeant, conservẽt? In his quia nihil animaduertisti firmitatis, ad alia transis. Si metallica pharmaca, inquis, repudias, quia corpus vehementer purgant (pleraq; purgare ultro nobis concedis) nulla purgantia intra corpus sumi oportebit: Quod cum sit absurdum,

istud tantum sequetur. Non cruda, & ita ut è terra eruuntur, ingerenda esse. Sed quemadmodum & reliqua purgatoria præparata prius, & aliis additis correcta: Non sequitur. Si metallicis purgatoribus utendum negẽ, ut etiam aliis interdicam. An si prohibuero Ellebori usum, tibi videbor etiam Rhabarbarum repudiare? Quia nocentiora sunt metallica ignium vi parata aliis purgatoriis, fugienda dicimus. At hæc respondebis: Non minus illis corrigi poterunt: Sit ita: Quæro ex te, cur tot sumptibus & laboribus metallica conquiras usu non satis comprabata, dum idẽ longe vilioribus, & multo usu probatis obtinere potes? An non summa fuerit demẽtia, ignota, preciosa, multo labore, & sudore comparata anteferre minus preciosis, notis, obuiis, dum non plus ex illis quam ex his commodi expectes? At validius agunt, inquies, & in parva quantitate. Audio. Sed hoc tibi repono, ob id esse nocentiora, quia minima eorum quantitas plus exagitat corpus, quam major aliorum quantitas. Si aliis adjectis retundi virtutem eorum dices, ut non magis infestent, rursum

rursum parum prudenter ignota pro notis eligi affirmabo, cum præsertim certus esse nequeas, utrum mali aliquid latenter corpori imprimant, majoreque precio veneant: Et cruda quidem corrigi posse haud nego. Ignium vi concinnata, an sic temperari queant, vehementer ambigo: Dixi alias crudi antimonii drachmam minus movere, quatuor vel quinque granis præparati: Veteres quoq; nonnunquam purgationis causa metallica propinarunt, chemico artificio ignium maximorum vi apparata nulli unquam exhibuerunt: Auget, non minuit eorum malitiam præparatio per ignes. Hoc tu negas: Quibus id rationibus fretus neges, videamus. Multæ res sunt, quæ cum antea crudæ & ineptæ forent, ignis postea beneficio coctæ aptæ efficiuntur ad corpus alendum. Testantur id carnes inprimis assæ, in quibus nemo ἐμπύρευμα refugit. Si toto genere hæc differre dicas, vel unam cerussam tibi profe-ram, quam & refrigerare & ideo repellere, emplasticamque esse, ipsa evidentia experientiæ testatur. Cur hic ἐμπύρευμα non urgemus cum tamen à pumbo usto

aut parũ aut nihil differat? Plurima etiam ex metallis vi ignis liquatis, & puris ab impuris partibus secretis comparantur pharmaca, ut olea, liquores, vocati spiritus, quæ ad refrigerandum & humectandum intra & extra corpus utiliter exhibentur, ut liquor vitreoli, & oleum sulphuris, in quibus gustu etiam ipso nulla acredo deprehenditur. Taceo nunc aquas destillatas. Ad hæc ita respondeo. Nunquam ego dixi, omnia ab igne cocta, vel usta ἐμπύρευμα noxiũ acquirere. Imo ex Galeni & Diosc. autoritate, ut ipsam rerum inspectionem mittam, rem aliter habere ostendi pagina 134. Recte igitur tu toto genere differre dicis cibos, & metalla. Cæterũ cur metalla ἐμπύρευμα noxium retineāt, pag. 112. abunde exposui. Cerussæ exemplum, quæ res est facticia, & absq; igni omni paratur, tantundem ad rem facit. Si te sandycem intellexisse dicas, hāc ex cerussa, leviter usta fieri respondeo. Differt autem à plumbo usto plurimum cerussa, cum illud manifeste calidum, hæc frigida sit. Sed cui tu persuadebis, liquorem seu oleum calchanti ac sulphuris μαὶἐμπύρευμα nullũ obtinere? Gustus,

ſtus,inquis acredinem non ſentit: Ferreus eſt ergo guſtatus tuus, ſi mordicationẽ nõ deprehendit. Admove guttam integram linguæ aut gingivis,aut carni cute nudatę & utrum erodant videbis. Nõ omnia quæ guſtus non percipit calida, vel frigida, talia non ſunt: Sæpe enim ſapor unus obfuſcat alium, ut non ſentiatur, tametſi plurimus adſit, ut in opio amaritas ſaporem tegit refrigerantium partium. Ita parum vini rubri vini albi multo copioſioris colorem obtundit,ut non videatur. Quoties operatio ſeu effectus adeſt caloris, nemo calorem adeſſe dubitabit, modo ab accidente nullo fallamur. Deinde lingua laxa cum ſit, cito penetrant per eam tantopere extenuata, ut minus eorum actio hic, quam in denſiori parte animaduertatur.

Miror vero, quorſum dicas, te non concedere, quę in dura corpora ſæviunt, mollioribus magis eſſe infeſta, Ego namq; fuſe docui ſatis, maxime calida, ſi exquiſite ſint extenuata propter celerem penetrationẽ minus laxis, quam denſis corporibus nocere pag. 114. Sed & Gal. de hac re multa cum alibi, tum ubi rubificantia, veſicato-

ria & eſcharotica diſtinguit: Per accidens hoc fit, quia non inhærent. Si æque diu in his atque in illis inhærerent, dubio procul plus nocerent mollibus, quam duris. Quæ igitur de lanarum ſaccis contra tormentorum ictus protenſis affers, contra nos non faciunt: Aquam fortem ferrum corrodentem dicis ſine noxa manu cava excipi: Si vel tertia temporis parte, quo ferrum erodit, in manu ſerves, ſenties quid poſſit: Vidi inſeri in dentem cavum, ut leniter ſaltem gingiva attingeretur, quosque mox cruciatus cum carnis exeſione gigneret, itidem vidi, ac memini. Hoc exemplum alias magis quadrat, quam id quod de lanarum ſaccis adfers, quia non de impulſu violento, ſed alteratione violenta diſputamus. Quod ad extremum metallica (de aliquibus non pugno, ſed de metallis & cognatis quibuſdam diſputo) ſcribis, non prorſus numero eorum, quæ intra corpus aſſumuntur, eximenda eſſe. Si in eorum uſu tria hæc obſerventur, ut recte præparentur, aliis additis apte corrigantur. Deniq; debita quãtitate exhibeantur, ſatis eſt declaratũ. Metalla enim ſic præparari non poſ-

possunt ignibus, ut non semper noceant. Quia vero & nocentibus aliquando uti cogimur, non dico, ea nunquam usurpanda, sed cum aliter ægrum sanitati restituere non possumus, minus malum majore permutandum aliquãdo fuerit De hac re pag. 106. 118. 122. 141. egi.

Habes responsum ad omnia tua breve & longum simul. Breve est si hanc chartam intuearis. Longum satis erit, si loca citata examinare attenteque relegere velis. Citavi ob idipsum, ut labore te levarem inquirendi, & ipse mihi consulerem, cùm præsertim occupationes fusiorem responsionem instituere non paterentur: Dominus Iesus tibi benedicat Amen. Die 27. Augusti, Anno 1578.

Thomas Erastus D. Petro Monavio Sal. D.

Literas tuas, quas 4. Decemb. dedisti, ejusdẽ mensis die 17. hic accepi, & diligẽter perlegi: Probo autem mirifice studium tuum in inquirẽda veritate, qua sane charius esse nobis nihil debet: Vt enim usum nullum

nullum haberet, quem habet in cunctis rebus summum, tamen seipsa dignum foret, cujus causa omnia toleraremus. Recte igitur facis tu, quod non statim assensum præbes omnibus, sed prius apud te expendis ne incogitate aliquid probes. Ad illa quæ in his literis objicis, breviter quidem, attamen perspicue respondere tentabo. De Gemmarum viribus non indoctos dubitare inquis, magnas & admirabiles inesse gemmis vires existimasse, qui tamen alias abditis illis proprietatibus tribuūt plurimun: Idem ipse quoq; omnibus temporibus animadverti, illos solos (de doctis loquor) ita statuisse, qui perpetuo latentes potestates reparent: Sed satis non est, doctum esse nisi quis hac ipsa in re, de qua quæstio est, doctus sit. Fieri certe potest, ut excellentibus viris & præcipuis in partibus artis nostræ exercitatissimis nunquam in mentem venerit, de hujus rei veritate inquirere. Solent enim pleriq;, fidem habere illis, qui se periculum fecisse affirmant, quasi non & se & alios fallere potuerint: in horum ordine ipse quoque permansissem, si non observavissem omnes fere, qui talia præ-

præcipue nobis commendarunt superstitiosissimos, aliisq; vanis artibus deditos fuisse; Credat, qui vult, gemmas mirabilia efficere, mihi qui & ratione & experientia didici aliter rem habere, nullus facile persuadebit, falsum esse verum. Calchanti liquorem, ut & ipsum Calchantum minore periculo usurpari posse in ipso libello fassus sum. Nec ego incertis casibus, ubi nihil videatur obstare posse, vereor eo, rebus aliis cõvenienter temperato uti. Quid vero de pharmacopœo dicam, equidem non habeo aliud, quam nescire me utrum contulerit ægris, an non contulerit. Suspicor enim, si utilitatem attulit, aliis rebus, distributionis, aut deductionis aliorũ gratia potius miscuisse, quam sanationis. Vix enim arbitror quenquam crediturum, insita sua natura vas ruptum sanare ipsum posse. Hoc certe comperi, omnes pulmonis ulcere quam vis obscuro laborantes (sunt enim aliqui ad eas aquas ablegati à Medicis, de quibus dubitabatur, an ulcératos pulmones haberent) qui aquas calchantum continentes biberunt, celerem sibi mortem accersivisse, Quod nisi in di-
versis

versis sæpe evenisse viderem, asseverare apud te non vellẽ. Venerunt enim deinde ad me consiliũ petentes (& hoc ipso anno adhuc duo robusti juvenes) cum consilio locus non superesset. Quæ ideo refero, ut me diligẽter omnes circũstantias examinavisse intelligas. Ego pharmacopœum facultate hujus liquoris ulcera hæc tum sanavisse credã, ubi rem certiùs cognovero, & quibus præterea sit usus una cũ circumstantiis: Qui sapit temere non credit illis jactatoribus, quoties ea exhibent, quæ nocere possunt. Audivi sexcenties medicamentum quoddam Elidæi Medici Bononiensis ad cœlũ tollere, quasi sputum sanguinis admirabili efficacia curaret. Sed multis ab ipso frustra exhibitũ partim vidi, partim scio, sicut neipse quidẽ fructum ex eo deprehendi. Vsus enim sæpius sum, quod periculosum non sit, & rationem habeat suffragantem, sæpenumero ubi multa sunt adhibita, quæ simul affectum percurarunt, laus tota uni perperam adscribitur.

De aqua forti nihil dicam, cum neminem sperem adeo insanire, qui eam bibendam, aut deglutiendam consulat.

De

De metallorũ transmutatione si disputare hic velim, actũ egero. Prius quam.n. mihi persuadeatur, hanc artem esse veram, cõfutari oportet omnes rationes meas, vel aliis melioribus vel ipso facto. Hoc autem aliquot jam seculis à multis millibus frustra tentatum est, nec cuiquã impune fuit. Omnes enim si non sanitatis, auri tamen jacturam fecerunt, pars maxima ad egestatem est redacta. Noli putare mi De. Petre non posse me veris rationibus refellere falsam artem, quam nõ exercuerim. Quid enim an & magiam me exercuisse & didicisse oportet, si refutare eam recte velim? non arbitror: At ratio similis ast artium omnium. Quomodo etiam à me postules, ut præstem quod ratio fieri non posse docet, ac nullus unquã præstare potuit? Non versatus es, inquis, ἐν ἐγχειρήσει τῇ χημικῇ, quæ arcana plurima prodit. Fateor: Sed nec reprehendi ego unquam. Chemiam, quatenus τὰ δυνατὰ persequitur, sed laudo eã, & celebro. Quatenus trãsmutationem viliorum metallorum in aurum argẽtumque promittit, ἀδύνατα tentat, hactenus eandem damno. Nec oportet me arbitror

bitror priꝰ impoſſibilia conari facere, quam conantem bonis & veris argumentis deterream: Poſſumus enim ſcire de multis rebus. quod effici humanis viribus nequeant, licet ipſi nunquā facere aggreſſi fuerimus. Cur igitur non poſſum ſcire utrum conceſſa hominibus ſit facultas, ſpecies rerum tranſmutandi. Ars ajunt, non habet hoſtem, niſi ignorantem. Hoc cum de veris & utilibus artibus dicitur, proboſum eſt. Cum de falſis, impiis, ſuperſtitioſis, noxiis, laudem meretur, qui eas damnat & confutat, priuſquam didicerit.

Ἰδιοσυγκρασίας, quæ incertis duntaxat individuis reperiuntur, tertii cujuſdam ordinis eſſe cū dicis, vix quid velis intelligo, Cum enim tales proprietates formę οὐσιώδει tribui nequeant, (quippe in omnibus ſpeciei individuis invenirētur, ſi propter formam ſubſtātialem in eſſent) cui alii rei ſeu materiæ qualitatibus acceptas feremus. Proprietates formæ οὐσιώδεις vſum vix habere in medendo cogitate ſcripſi, nec video, cur me pœnitere debeat. Ex hoc, inquis, ſequetur, fere nos ſola uſurpare, quæ formis ſuis orbata ſunt: Quo conceſſo alter-

terutrum horum absurdorum colligis aut, nullis formis medicamenta illa prędita esse, aut, quod esse creduntur, non esse revera. Respōdeo. Prius nullo modo sequi. An enim quod hac certa forma priuatum est, omni forma spoliatum esse oportet? Alterum recte sequi dicis, si modo recte intelligis. Etsi enim Rhabarbarum nominatur radix arida, rhabarbarum tamen vere non est, sed rhabarbari cadaver. Tum vere est rhabarbarum, cum terræ adhuc infixum ejus ad se succum quo nutritur, & vivit, attrahit. Quod tibi absurdum videtur. An tu es oblitus opere & potētia talia omnia definiri. Arist. 4. Meteor ultimo hæc habet: τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὐτῶν ἔργον ἀληθῶς ἐστὶν ἕκαστα, οἷτε ὁ ὀφθαλμὸς, εἰ ὁρᾷ. τὸ δὲ μὴ δυνάμενον ὁμωνύμως οἷτε τεθνεὼς ἢ ὁ λίθινος, οὐδὲ γὰρ πρίων ὁ ξύλινος ἀλλά ἢ εἰκών. Addam quæ 2. gen. ani. 2. scripsit. οὐ γὰρ ἐστὶ πρόσωπον μὴ ἔχον ψυχὴν οὐδὲ σὰρξ ἀλλὰ φθαρέντα ὁμωνύμως λεχθήσεται. τὸ μὲν εἶναι πρόσωπον, τὸ δὲ σὰρξ ὥσπερ κἂν εἰ ἐγίγνετο ξύλινα ἢ λίθινα. Ab hac sententia non dissentit Galenus. Nam 1. de Plat. Hipp. & Plat. 8. de Aristotele loquens ait: Ipse est qui nos docuit, ut ad operationem & usum uniuscujusq; instrumenti, non ad fabricam despiciamus. Cum quænam sit ejus essentia,

ſcire volumus. Idē repetivit in fine l. 2. jam dicta repetens. ἔτι αὐτοῦ δ' ἐστὶ καὶ τὸ τοῦ Ἀριστοτέλους λῆμμα, περὶ οὗ κατὰ τὴν τελευτὴν τοῦ πρώτου βιβλίου διῆλθον: Addo hæc, ut quæ de 1. lib. Latine extant, genuina eſſe videas. Quodnam hoc eſt λῆμμα: οὐ προσήκειν κρίνεσθαι τὴν ἐν τοῖς ὀργάνοις ἑτερότητα καὶ ταυτότητα ταῖς ἐνεργείαις, καὶ ταῖς χρείαις αὐτῶν. Si ergò non amplius nutritur ac vivit arida radix, ὁμωνύμως Rhabarbarum dici quis inficiabatur? Ac de viribus novis, quæ una cum forma nova acceſſerunt, idem quæremus? Fruſtra hic quæres. Non enim acceſſit vis purgandi à forma cadaveris, ut ſic nominem, ſed prius inerat ut in lib. de occultis pharmaci poteſtatibus oſtendi. Hinc inſolubili argumento probavi, purgatricem ejus vim ad materiæ qualitates pertinere, non ad formam. Quæ namque virtus in aliqua materia inhæret, quæ multas diverſas formas ſibi invicem ſuccedentes recepit, non poteſt ullius eſſe ex his propria qualitas. Si enim unius eſſet, ea abolita, ipſa quoque extincta fuiſſet. Video te non obſervaſſe hęc, quæ tamen verboſe ibi tractavi.

Quæris, num in anima carentibus temperies formæ vicem ſuppleat: Reſpondeo. Non ſupplere, ſi de forma ſubſtātiali intelligas. Quid vero in animatis inquies temperies?

:ries? Cui annumeranda? Formæne? Ita
uæ erunt formæ unius rei simplicis sub-
antialis vna, accidentalis altera. Ergone
ateriæ? Atque de hujus ratione est non
ere sed pati: hæc tua sunt: Ego non tantū
on judico absurdum esse in rebus physi-
s seu materiatis duas formas ponere, sub-
antialem vnam & accidentalem alterā,
d necessarium esse ajo, non unam tantū,
d plures accidentales ponere. Quippe
ormæ οὐσιώδεις physicę nihil agunt sine in-
tumēto corporeo, & αὐτῶ θιγγάνειν. quia
on sunt actu efficaces, sed potentia, re-
pectu actus secundi. Pro diversitate ergo
emperamentorum diversas edit forma
ubstantialis actiones. Idem hoc ipse tu cū
ffirmes his verbis (qualitates vero, ex qui-
us temperies constat, omnes vno ore
Philosophi fatentur, actionum esse cau-
am proximam & per illas substantias effi-
aces esse) nihil opus est, ut plura dicam.
Posthæc pro morborum totius substantiæ
ssertione hoc affers argumentum: Repe-
itur in compositis tertium quiddam præ-
ter materiam & formam, scilicet forma
totius, in quo fortasse horum morborum

autores sedem ipsis constituũt: Est autem forma hæc totius alia. Non tamen ab ipsomet cõposito, sed à forma partis, quæ una cum materia compositũ constituit: compositum sit homo. Forma partis hic erit anima, cum corporis temperie totum constituẽs: at toti⁹ forma, erit ipsa humanitas: Ad hæc ita respondeo: certum est per materiam & formam tertium esse in toto naturali, seu in composito. De substantiis si loquamur, dubitabit nemo eorũ, qui principium l. 2. de anima attente perlegerit & intellexerit. Manifeste ibi distinduit compositũ à materia, & forma. In composito, seu uno accidentali æque clarum est. Habes igitur me tibi consentientem hac quidem in parte. Cum deinde exẽplo hominis declaras tuam sententiam, quatuor videris res ponere, compositum, hominem, animam seu formam partis. Tertio materiã congruenter temperatam. Postremo formam totius, nempe humanitatem. Quæro primum quid differat ab homine humanitas? Deinde cur à composito nimirũ homine tanquam partẽ quartam ponas, cum Aristoteles tria tantum in substantia tali agno-

agnoſcat? Materia enim cujuſq; rei propria προσεχής, & ultima non poteſt ſine peculiari temperatione materiæ nomen retinere. Haud dices, puto, quartum hoc, materiam cum forma unite, atq; unitis jam idem ipſi compoſito ſupervenire, tanquam ultima & perfecta forma. Quippe, quod ex materia & forma coalvit, ὑπόστασιν & ὑποστάμενον & τόδε τι Græci vocant, Latini barbari ſuppoſitum, aliquando individuum & ſubſiſtens nominant. Nec alio aliquo egere putant: Sunt. n. hoc modo compoſita primæ ſubſtantiæ ſeipſis ſubſiſtentes. Huc Ariſtotel. verba pertinet 2. De anima 1. διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ἓν ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ὥσπερ οὐδὲ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα οὐδὲ ὅλως τὴν ἑκάστου ὕλην, καὶ τὸ οὗ ὕλη. Nulla ergo natura ſeu ſubſtantia in homine prętermateriam formam & compoſitum quod eſt homo. Quid g. inquies, de humanitate dicemus Num ab homine non differt? Differt certe, ſed non tãquam natura, ſeu ſubſtantia, quędam quarta: ſic g. differunt, ut caro & τόδε τι hominis, h. e. perfecta hominis definitio ab omni concretione materię, & patibilitatis ſecreta in mente noſtra cõſiſtens. Homo. n. mortalis & patibilis eſt,

non humanitas, quæ est intellectus nostri νόημα, omnis materia contagionis & mutabilitatis expers, ac veluti idea quædam hominis. In ipso autem homine non est ab homine alia natura distincta, per quam homo vel agat, vel patiatur aliquid aliud, quam agere ac pati possit, quatenus homo est: Sed ponamus reipsa aliud esse aliquid ab homine, formam scilicet totius, ut appellas: Quid hinc concludes? Morbos, ais, totius substantiæ videntur horum inventores in hac natura posuisse. Quæro igitur utrum natura hæc quarta, substantia sit an accidens; Si accidens statuatur, vel erit totum secundum ipsum per se alterabile, vel non: Si prius detur, non fuerit forma seu terminus generationis, sed indefinita qualitas, nempe patibilis, quod est absurdissimum. Si secundum ipsum mutabile corpus esse negetur, non poterit morbos suscipere, nisi qualitatibus mutatis ipsum quoque mutetur. Redibimus igitur ad principium: Sed frustra hic hæreo, cum fieri non potest ut substantiæ forma sit accidens. Quod si ergo substantia est, nihil habet contrarium Ergo καθ' ἑαυτὸ animæ

æ instar nihil patitur: Nullum ergo per se
orborum est subjectum. Corpus ergo
rimo læditur, quod tu quoque concedis.
rgo morbus quilibet primo & per se cor-
oris affectus est. Secundo & per accidens
el animæ, vel humanitatis, quatenus sci-
icet cum corpore ita male affecto amplius
onsistere, ipsumq; informare non possũt.
dem nos dicimus. Nihil igitur inter nos
elinquitur controversum. Imo vero plu-
imum ais: Quoniam pestilentes & con-
agio venenato inficientes humores aut
apores, etsi in corpus primum invadunt,
non tamen secundum simplicem dunta-
xat temperiem, sed ita, ut totum destruat:
Concedo hæc omnia, sed quid eis efficias,
nondum certo video. Pestilentes humo-
res vel corporis temperiem lædunt, vel u-
nitatem, vel instrumentorum conformati-
onem. Nisi horum aliquid lædant, morbos
nullos creabunt. Sed de primo genere, in-
temperie scilicet (reliqua duo morborum
genera huc non pertinent) agamus. An
possit corporis natura destrui temperamẽ-
to integro remanente? Tu affirmabis,
si propositum tueri voles, ego negabo.

Vt forma aliqua fit in materia, necessarium est, ut materia perfectã habeat δυ'αμιν, seu perfecte sit disposita. Non n. forma qualibet in subjecto seu materia qualibet, sed in propria tantum riteque disposita inest, nisi cœlum terræ miscere velimus, & humanam animam in materia asini, fabę, milii, inhabitare posse opinemur? Quæ vero est ista dispositio materiæ alia, quam conveniens temperamentum? Hoc dum adest congruenter, dum abest, incongruenter disposita est, & dicitur materia. At impossibile est materiam perfecte dispositam non informari à forma, pro qua suscipienda & retinenda apte, sufficienter præparata est. Neq; suam etiam deserere materiam forma ulla potest, quantisper pro ejus permansione recte temperata est materia. Ergo cum substantiis, & formis per se, & primo nihil sit contrarium & actio omnis fiat à contrario, à nullis morbis primo & per se lædi, vel destrui possunt. Quare temperationem primo corrumpunt necessario, quæ corpus destruunt: Sed nec temperationiqu ando consideratur ut habitus, seu motionis terminus, aliquid per se & primo

primo contrarium est. Corpora enim ratione habituum quiescunt, non moventur, aut mobilia sunt, ut demonstratus 7. Physic. 3. Tunc igitur solum mutatur corpus, quando qualitates patibiles primę scilicet moventur, seu patiuntur. Quocirca corporis temperationem per se sola illa corrumpunt, quæ calefacere, frigefacere possunt: pestilentes igitur humores aut halitus, nisi dividendo continuum corpus destruant, calefaciendo aut frigefaciendo corrumpunt. Quod enim primo & per se non invehant morbos instrumentales, confessum esse arpitror. Aliter enim temperamentum labefactare per se nequeunt. At hoc integro perdurante corpus interire aut dissolvi non posse, certum est. Frustra igitur in quarta illa natura, si ponatur, substantiæ aliquid esse finguntur morbi primo inhærerę. Hic non incommode repedivero, quod antea dixi, formas substantiales physicas absque instrumento corporeo nihil agere. Est ergo proxima actionis causa organum, seu pars corporea. Quare vel morbus non per se primo seu proxime lædit actiones, vel est hu-

jus Partis seu instrumũti proprius affectus, Quod si organi propria est dispositio, non poterit proprius formæ affectus censeri. Quid igitur prosit commentum de totius forma, si quam maxime verum esset? Non enim humanitas, sed homo morbis afficitur, nec patitur à morbis anima, sed corpus. Patet igitur frustra hujusmodi fingi ad stabiliendos morbos substantiæ totius, quos natura prorsus nescit cum tota vetustate. Est enim recens figmentum, à Fernelio primum, ut arbitror, excogitatum. Videtur autem è chimia pullulare primum cepisse.

Quod ultimo loco quæris nequaquam facile est explicatu. Multos enim torsit quæstio hæc Medicos, dum alii medium inter sanitatem. Et morbum dari concesserunt, alii cum Aristotele negarunt, ut se facilius extricarent plerique, dari dixerunt, si sensus arbitri ponantur, non dari, si rationi judicium permittatur. Quod ut in hac sola quæstione tolerari possit, non tamen tuæ interrogationi satis facit, qui generaliter quæris, Cur contrariorum alia ἄμεσα, alia ἔμμεσα statuantur. Eadẽ quæstio mota

mota olim & ab aliis fuit; Movit eos hæc potissimum ratio, quod viderent ab extremo uno ad alterum transitum fieri nō posse, nisi per medium eratur: Ergo inquiunt, cum motus omnis ex cōntrario fiat in contrarium, qui poterit inter aliquam contrarietatem medium negari: Omnia igitur sunt ἔμμεσα. Tua ratio, etsi cum hac coincidit, tamen alia est. Sic enim colligis, cōtraria sunt πρός τι καὶ ἀντιστρεφόντως. Quæ cū sint sub eodem genere extreme sibi opposita medium habeant necesse est. Sive nomen habeat, sive ὁμώνυμον sit. Distinguunt alii mediū in id quod transitus vocant, & id quod formæ nominant. Illud esse dicunt, quod magis & minus infinita serie recipiatur, ut est medium inder calidum & frigidū. Hoc esse affirmant, quod certam speciē vnam, vel plures habet interjectas, ut inter album & nigrum, interponuntur rubrum, pallidum, lividum. cæruleum. Hæ species non secundum magis & minus tantum differunt, sicut major vel minor caliditas, sed definitæ sunt species: Hujus generis contraria non habent medium trāsitus, inquiunt: Non enim necessarium est, ut quando

ni-

nigrum album fit. per omnes species transeat? Alterius generis ἄμεσα vocari ajunt, q; definito medio careant; quæ cum dimidiũ tantum quæstionis solvant, & non recte tamen solvant, pro nulla responsione jure optimo habebimus. Aliter igitur explicabimus: Contrariorum, quæ accidentia sunt, (sunt enim & substantiarum differentiæ, per quas genera dividuntur, cōtrariæ, & quod ejusmodi contraria sint ἄμεσα caret omni controversia, ut arbitror) duo sunt modi, seu genera, quoniã corpus subjectum propter aliqua est per se mobile seu mutabile, propter aliqua qniescit. Et quæ extrema sunt, vel fines motionum id est, secundum quæ corpus non mutatur, sed à motu quiescit, magis & minus respuunt, nec motui obnoxia per se sunt. Ad hoc genus pertinent omnes habitus, relationes & figuræ: At ea quorum causa subjectum est mobile magis & minus recipiunt; & ob id ἔμμεσα sunt & dicuntur, sicut altera propter causam contrariam ἄμεσα noscuntur: Quomodo enim fieri potest, ut quæ magis & minus non recipiunt hæc ex dimidio sint talia vel talia? Non recipere

pere autem habitus & terminos motuum magis & minus, & per se notum est, & 7. Phys. 3. demonstratur. Non enim habitus causa fieri aut perfici, sed facta vel perfecta res quævis dicitur. Sanitas igitur & morbus contraria sunt ἄμεσα cum secundum hos habitus non moveatur sed motum sit: Terminant enim motum. At calidum & frigidũ cōtraria sunt ἔμμεσα, quia secundum ipsa movetur corpus non autem motum est. Recipiunt hæc magis & minum, cum calidum possit fieri minus calidum, & similiter frigidum. Quare poterit idem medio modo habere. In talibus medium est cum extremis ὁμογυνὲς, & consistit in qualitatibus patibilibus, secundum quas corpus primo & per se est alterabile. In habitibus cōtrariis medium est ἑτερογενὲς, quod omnes intelligunt, qui inter motum & formam per eum acquisitam distinguere norunt? Nullum enim genus idem est motus & habitus per eundem acquisiti. Nec possunt extremi habitus componi aut misceri. Vt ex illis medium quiddam generetur utriusque extremi particeps. In his igitur medium transitus gene-

re differt ab extremis, & proinde medium ὁμογενὲς non est. Quare non est necessarium, ut quando contrarium permutatur in contrarium transitus perpetuo fiat per medium ejusdem generis. Ita prior solvitur ratio. De tua non est cur multa dicam. Contraria, inquis, sunt πρός τι scio. Sed & hoc alterum scio. Aristotelem negare omnibus in genere relationis contentis accidere medium. Nec contraria sunt omnia; nec recipiunt magis & minus relationes, ut in prædicamentis & loco supra citato docuit Philosophus. Non ergo sequitur; contraria referuntur, ergo habent medium, cum sint extrema quædam. Hoc enim solis illis accidit, quę magis & minus recipiunt. Contrarium sufficit contrario suo contrarium esse, non oportet medio contrarium esse. Satis de hac redictum, si Medicos inter sanitatem & morbum medium ponentes duobus verbis excusavero. Medici artifices sunt & ob id circa singularia versantur, qui cum certam in materiam introducere formam velint, necessario materiæ nobilitatem, seu habili-

tatem

tatem præcipue considerant: Hæc habilitas corporum cum gradus sive magis & minus suscipiat (est enim per se indefinita) qui sine habitibus definiri non possunt, morbum & sanitatem non contemplantur, ut formas à materia secretas, aut motionum fines, sed considerant eas, quatenus in materia inhærent, & cum habilitate junctæ sunt: Per accidens igitur recipiunt magis & minus, itaque medium habere dicuntur, quatenus scilicet in corpore insunt, quod sanitatis habitu amplius perfici, aut habitu morbi gravius lædi potest. Non nesciunt alias, corpus nostrum non perfici, quatenus perfectum jam est, sed quatenus perfici amplius potest. At habitus rationn res nulla perfici potest, sed perfecta jam est: Non igitur habitus ratione movetur res ulla. Inter habitus ergo contrarios medium seu gradus nulli sunt: Quoniam vero accidit habitui, ut subjectum habile sit amplius perfici, eatenus habitibus gradus, qui eis tamen accidunt, asscribunt artifices, qui hasce res tanta accuratione minimè distinguunt. Si non clare satis exposui,

ad-

admoneto me, & si potero dilucidius, & fusius declarabo. Vale. Dab. circa initium Ianuarii anni hujus 79. Quem tibi tuisque omnibus quam felicissimum ex toto corde precor. Saluta dominum Doctorem Iob. Hermannum, & si quid Pandora illa recens fabricata agat nosti, de eo me certiorem facito.

Thomas Erastus D. Petro Monavio D. S. P.

Literas tuas postremas, vir ornatissime, ante menses fere duos accepi, sed ad eas nondum respondi, partim negotiis impeditus, partim tabelliorum inopia prohibitus. Abfui enim per mensem in thermis, quem ad locũ nullus venit: Iam igitur respondebo. Chemiam me non simpliciter damnare: Sed magnis laudibus tollere, si utilia, & quæ fieri possunt, conetur facere, satis intellexisti.

Ἰδιοσυγκρασίας à peculiari temperamento provenire, itidem perspexisti. Itaque hoc solum addam, non esse temperamenta hæc extra humanæ temperationis latitudinem posita. Plane sunt infinita hæc indi-

dividuorum temperamenta, unde fit, ut tanta sit ingeniorum, naturarum & morum diversitas. Singuli n. fere aliquid, proprii habent, ac raro fit, ut duo aliqui eisdem rebus delectentur, quippe quibus alius gaudet, alius aversatur. Verum nos illas notare duntaxat solemus ; quæ infrequentius accidunt & à communi natura plurimum recesserunt. A Philosophorum sentẽtia me discessionem facere, & ad medicos transire non bene opinaris, quando res quaslibet opere & potentia definiendas esse scripsi. An non n. testimoniis apertis Aristotelis hoc ipsum comprobavi ? Quæ si nõ satis clara videntur tibi, lege principium in lib. Occonomic. ubi hæc verba reperies : οὗ δὲ ἕκαστον ἔργον ἐστι γέγονε, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ αὕτη τυγχάνει οὖσα. Primo item Polit. 2. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει. ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλὰ ὁμώνυμον. Pertinent huc etiam quæ in 2. de cœlo & mũdo c.3. scripsit: ἕκαστόν ἐστιν ὧν ἔργον ἐστὶν ἕνεκα τοῦ ἔργου. Evidenter ut arbitror, probavi cum Aristotele me locutum quando tibi respondens scripsi, rhabarbarum in officinis non esse verum rhabarbarum, quia opus, cujus causa à natura factum est, facere amplius non

non posſit, ſed Rhabarbari veri cadaver: Equidem ſicca radix, quæ vitæ operationes exercere nequit, non magis eſt verum Rhabarbarum, quam manus hominis amputata manus eſt. Quippe ὁμωνύμως manus aut Rhabarbarum dicuntur, quia non poſſunt id cujus cauſa facta ſunt, præſtare. Equidem perfectionem ad finem amiſerunt, quæ poteſtatem operandi perdiderunt: Hoc autem nihil aliud eſt, quam natura ſua & eßentia ſpoliatum eße. Quod præclare Ariſtot. loco ſupra ex primo Politic. citato his verbis declarat: ἡ δὲ φύσις τέλος. οἷον γὰρ ἕκαστον ἐστὶ τῆς φύσεως τελεσθώσης, ταύτην φάμεν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου, ὥσπερ ἀνθρώπου, ἵππου, &c. ſed quid opus eſt probatione in re manifeſta? Oculum qui cernendi vi orbatus eſt, vere & perfecte oculum eße nullus credit. Nomine quidem oculi nominatur, at reipſa oculi cadaver eſt, licet nutriatur & vivat. Non enim ob id oculos dicitur, quia vivit (perfectio oculi non eſt vivere, ſed inſuper videre, tunc generationis ſuæ finem attigit, cum virtute aſpiciendi præditus eſt) ſed quia videt, aut videre poteſt. Quare ſi τὸ εἶναι καὶ τὸ τέλος oculi eſt poteſtas videndi, per hanc

hanc merito definitur. Hæc enim ejus est finis, perfectio, essentia, & natura. Eadẽ est omnium aliarũ rerum conditio, quæcunq; certi operis causa conditæ sunt. Nec effectibus, sed formis definiuntur, quæ jam dicto modo definiuntur, nempe id agendi, cujus gratia à natura producta sunt. Qui opere vel operationibus in definitionibus utuntur, ex eis potẽtiam, quæ earum causa est, intelligunt. Cum nomen notum est, id ponimus: cum ignotum est, aut proprio nomine caret, formam sæpe, cujus facultas est, pro eo ponimus. Cum ejusdem formę plures sunt potestates, atque unam ab aliis distinctam volumus, ut possumus, describimus. In qua sententia cum Galenum etjam fuisse demõstraverim, non facio à Philosophis discessionẽ ad medicos. Sed ambobus cõsentientia dico. Absurde, inquis, deindæ formæ duæ substãtiales in eadẽ reponuntur. Idem ego quoq; & dico & sentio. Addam hoc loco ne longior hinc nobis disputatio oriatur. formam ultimã seu perfectionem ultimam esse unicã in re qualibet, quę reliquas, quę pro formis habeantur à nõnullis, sub aut in se contineat: At Galen

temperamentum putavit animam esse, & præter hæc inest anima. Itaq; duæ insunt animæ. Non statim verum est, quod Galen. Dixit: Temperamētum dicimus cum Aristotele (qui hac in re consentit, cū veritate divinitus nobis patefacta) accidens esse, nō substantiam. Quod cum dubitatione careat, nulla causa est, ut quęrā, utrum metalla animata sint, propterea quod sunt tēperamento suo quælibet prædita. Vtrum aūt crescant, & vere augeantur, non constat liquido, ut affirmas, imo res longe aliter habet. Non. n. aliter quam per additamenta partium augentur. Nec probant venæ tuę quicquā. sed si quę in gēmis tales apparent, vitio ejus datur, alieniq; aliquid intervenisse significant. Quas in nobiliorib. metallis venas vocāt, venæ non sunt, sed vel meatus terræ, vel tractus in quibus apta continetur materia, ex qua generari possit, si genitum non sit metallū, &c. Humanitas, ut genus, species, p̄dicabile, est νόημα intellectus, quibus res extra mentē nulla respondet. Vniversale, inquit Aristot. vel nihil est, vel post res est, postquam scilicet animo a rebus abstraxerimus. Talia autem non agunt, aut

patiun-

patiuntur. Nec ob id est inane commentũ. Servit. n. cognitioni nostræ plurimũ (dum quę natura in multis una est &à singulis est inseperabilis,& nec agit, nec patitur in singulis,ut vniversalis,sed ut est res singularis, ita quoq; agit) q, ne tu quidẽ ignoras: Humanitas igitur est homo seu hominis natura iu mente per modum ideæ considerata: Atqui ideas quoq; partim substantiæ non esse rerum, quarum sunt species,certũ est apud omnes. Qui posset igitur hac forma extra res sive in animis duntaxat nostris inhærens morbos totius substantię nobis parere? Non etiam sic est in mente hominis humanitas, ut ei homo respondeat extra subsistens, sed quæ in homine est singularis, in mente est universalis.

Quid in mentem venerit novi morbi inventoribus nescio. Hoc interim probe scio, morbos omnes (de corporeis loquor) accidere primo corpori,nõ animæ seu formæ: Item, quod morbi omnes necessario (cum lædant actionem primo) in illis rebus insint, sive illis noceant,quibus primo operationes anima efficit. Si. n. in re aliqua affectus aliquis sit, qui nihil istorum lædit,

dum hoc facit, morbus non erit nominandus. Ergo cum præter tria non possunt ostendi, à quibus primo eduntur operationes, quid est opus alia q̃rero? Hoc ais quæritur potissimũ: quod primo lædatur. Non enim inficiati quẽquam quin temperamẽtum simul lædatur. Quæro ego rursus, an actio lædi possit, antequam tẽperamẽtũ vitiaverit. Si potest, non erit temperamentum primũ instrumentum animę, & cæcutierunt in re tanta omnium seculorum Philosophi & Medici. Cum temperamentum oblædi asserimus, non de sola partium solidiorum temperie loquimur. Sed etiam spirituum. & volumus intelligi de temperie actu, quę constat ex calore tum implantato tum influente. Falleris cum putas ipsos quoq; authores cõfessuros simul cum tota substantia temperamentum necessario destrui. Contrarium affirmant & scribunt, aliquando morbum totius substantiæ actiones lædere, temperamento nulla in parte adhuc offenso. Spiritui & calori cum nocumentum afferre ajunt, bene dicunt. At temperamentum tunc non lædi non ostendunt: Cum verò animam primo

offendi

offendi ajunt, quid dicant, nesciunt. Ego etiam sic nunquam sum argumentatus. In substantiæ totius morbis necesse est tẽperamentum destrui. Ergo temperamentum per se & primo læditur: Sic ego colligo. Si actio à temperamento proveniens, vel si actio nulla læditur à morbo nisi tẽperamentum aut fabrica, aut continuitas partis vitiata sit, certum est ab his primo actiones ꝓduci, & in his omnes morbos inesse, neq; pro morbo censeri posse affectum, qui harum nihil lædit. Cum in accidentibus suffusioni similibus vitio ventriculi ortis scribis affectionẽ eam oculorum non proprie dici morbum, neque ab ea oculos primo lædi, rursus falleris. Vt de primo nihil dicam, quomodo dicis tu affectum oculi primo non lædere oculos? Quo in loco prius est dispositio illa oculi, quam in ipso oculo? Verum est, ꝙ causa affectionis in ventriculo prius colligitur, & inde in cerebrum oculosq; ascendit. Quo cum pervenit, oculum lædit, ꝗ læsio alibi prius non fuit: Solet hic vapor aliquãdo prius mordere os vẽtriculi: Cõsentire tum oculi solent. at non eodẽ ipsi posterius morbo laborare solent, quo

ventriculus. Vt. n. ventriculi, visio lædi nõ potest, ita nec oculi concoctio ea, quæ panem, vinum, carnes, vertit in chylum, &c.

De contrariis mediis, & medio carentibus non reprehendere tuam explicationẽ, si medium illud subjectum posset inveniri. Cum inquiebas, Natura non posset de uno extremo transire ad alterũ, nisi prius transeat ad medium, videtur, nulla dari medio carentia contraria. Mors & vita non sunt cõtraria ꝓprie dicta, sed privatio & forma, seu privative opposita. Nos de proprie sic vocatis differebamus. Ita simul ad alteram objectionem responsum habes. Quoniam neq; formas contrarias inter se dicimus, q̃a non sunt accidentia, & nihilomius differentias, quibus genera dividuntur, contrarias esse fatemur, at nõ proprie. Contraria naturalia quæ proprie ita vocantur, sese de uno subjecto inuicem pellunt, in eoq; sibi succedunt, q̃ substantiales differentiæ nullæ facere possunt. Quomodo & cur aliqua extrema opposita medio careant, satis supra exposui, quia sc. talia sunt habitus, termini, fines, dispositiones, quæ magis & minus non recipiunt: Recte scribis, me de con-

contrariis habitibus, ut sanitate, & morbo disputare, te verò de habitu & privatione disserere. Vt vita & morte. De his quia vere & proprie contraria non sunt, nō eadem dici possunt, quæ contrariis recte competunt. Vale felicissime vir ornatissime & doctissime. Dat. 4. Septemb. Anno 1579.

Quia propere nimis scripsi, veritus sum, ne non commode legeres. Itaq; puero dedi, ut transcribat, & quia fortasse non potero relegere, libet interim te ejus admonere, dum ipse exscribit: Rogo te, quando possū studio, ut Domino Iaco. fratri tuo ex me salutē, quam officiosissime dicas: Scribere ei decreveram, sed præter opinionem obrutus sum negotiis, ut jam non licuerit. Accedit, quod nil habui, quod præcipue scriberem. Quod si tale quid fuisset, certe somnum non cepissem, priusquam ei scripsissem. Hoc sciat me ipsum in pectore meo gerere semper, propter præclaram pietatem, aliasque animi præstantes virtutes. Propter quas ab omnibus bonis & prudentibus eum diligi & amari sentio.

Scribā ei aliquando aliquid, quod ei gratum fore putem. Audio nuptias eum me-

ditari, quam rem ei Dominus Iesus æterni patris ęternus filius, verus & vnicus cum patre & spiritu sancto Deus, & Dominus & Servator noster ut bene vertat, serio precor & precabor. Die 9. Sept. 79.

Theodorus Zuingerus D. Petro Monavio, S. P. D.

De Nepenthe quod quæris, certe quo recentius, eo officacius, propter opium & hyoscyamum quem recipit, sed & propter recentes vires eorũ, quæ correctionis causa adduntur, oleum caryophyllorum, anisi, cinnamomi, subtilium scilicet partiũ, tam tutũ videtur recens, quam antiquum Neq; verò fermentatio tam hic necessaria, quando purior tantum succus sumitur, atque in Theriaca cui crassa omnia & corpulẽta induntur, In senib. & debilitatis ad g. 3. vel4. in pueris ad g. j. vel ij. in juvenibus & morbis calidis ad g. vj. cum julepo rosaceo. Somnum mitem inducit, dolores lenit, æstũ extinguit, epilepticum spasmum cohibet, non tam facultatem partium, quam vapores & spirit⁹ morbificos congelando. Hoc experientia tale affirmare possum, vel hesterno die, absq; sopore dolorum & agita-

tionem

tionem sublatam fuisse in filia Episcopii ibi- mula trium horarum cõvulsione laboran- te. Margaritæ cum æquali pondere nitri in furno antitypo calcinantur. Salsugine ab- stracta extrahitur subtilior pars cum aceto destillato, quo evaporãte subsidet calx pu- rissima aq. rosarum crebris affusionibus ab- luenda. Aliter: In aceto destillato, & spi- ritu vini generosissimi ana, in fimo contusæ dissolvuntur. De fusione facta novũ men- struum affunditur, donec penitus sint dis- solutę. In fundo subsidet essentia abstracto phlegmate, Et hoc rectius atq; cautius. Alii alias habent præparandi rationes, sed in si- milibus ἡ πεῖρα κάλλιστον χῦνι διδασκαλεῖον Ne- penthis usus Methodicus tutus: sed & qui prudẽtiam Medici requirat, ut raritate ip- sa magis magisque commendetur. σπάνιον ἀπὰρ τὸ ἐν, & prostitutio ipsa si non vires medicamenti, saltem auctoritatem, & per consequens efficaciam extenuat. Au- rum inter metalla principatum obti- nere, sed & inter res naturales solum immortalitate quadam præditum esse, qua de causa tacito sensu, ab omnibus, licet ignorantibus appetitur (ἴ σοτης γὰρ ἡ φύλοτης) constat. At illud idem nisi vegeta- bile

bile primum, ſubinde animale fiat, adeoq; corpori humano ſimile, nullam nec corroborandi, nec curandi vī habere poterit. Proinde vulgatis quorundam ſolutionibus non plus tribuendum cenſeo, quam auro foliato, aurive ramentis. Bibitur & devoratur aurum, aurum excernitur. Cōpages illæ adamantinæ ab igne invictæ aliquid igne potentius quærunt à quo ſolvantur. Deſcriptiones aliquot habeo, tamē nullam adhuc examini ſubjeci. Pro tua gratias tibi ago, ſunt in ea quædam propter ἀναφλωείας ſuſpecta. Nam in hujuſcemodi interdum vel minima maximū ſecum τȣ̃ τυχεῖν ἢ ἀτυχεῖν momentum afferunt. Vulneraria è pyrola non videtur mala, & ſepe συμπάθεια paucorum quorundam effectus præſtat admirādos, artemque doſium medicam, etſi non tollit, ludit tamen, & non minorem uſus, quam rationis auctoritatem eſſe debere convincit. Aniſum purgans meum non eſt, ſed à Gallis acceptū, mutilata tamen, quam habes deſcriptio: ♃ Aniſij ℥ iiij. Sacchari ℔. iij. Scammoni ℥ ij. Turpethi, Maſtiches an. ʒß. Zinz. ʒ. iij. ſyr. el. de gemmis, Diamarg. frig. an. ʒ. ij. Coq. Saccharo q.ſ.

Ejus

Ejus dimidia parte excipe pulueres & anisum obducito, reliqua dimidia incrustato. Datur ad ℥ ij & iij. Guaiaci corticum decoctum sitī quoq; restinguere, & quidem potenter, sæpe depræhēdi. Ejusdem in calefaciēdo non magnam esse vim, Catholici usus multorum dierum innoxius satis convincit. Ego ℥j. affundo ℔. vi. aq. Coquo ad medietatem, inest vis purgandi & aperiendi multo efficacior, quā ligno, propter salis copiam. Itaq; quatuor doses habebis. Vinum senex noster, à quo accepi, in inveterato tantum adhibebat. Dum sudor movetur, vinum non adeo convenire, uti etiā ventum seu potius aerem liberiorem, rationi cōsentaneum. Sed dum purgamus & vino & victu liberalius uti nil prohibet. Triginta & quadraginta diebus in iis, qui bibere possunt, cōtinuis uti nil vetat. Corporis moles attenuatur, vires interim constāt. Victus ratio proba, libera tamen à sole tantum & vento & crapula caveant. Hoc ipso cōmendabile medicamentum, quod ejus usus à suspicione etiam liber est. Pyrapytum saponem nigrum requirit, de altero illo, facticium intelligo minium. Relinquen-

quendum per horas ad minimum duodecim, & cum cutis plane nigra est, tunc impressionem à medicamento factam esse cognoscitur. Orbicularia ulcera requiruntur, quãdo globulos cereos, vel ipsa imponere volumus, ut diu aperta maneant. Plũbi gravitas, etsi aqueæ naturæ sit, ex partium densitate provenire videtur. Chymistis ab hydrargyro, & sulphure combustili, hoc est, imputo. Sic autem appellant halidum duplicem. Nepenthe præter ea, de quibus ante, recipit coralliorum, margaritarum, croci & succini essentiam, hoc est, partes purissimas, arte elicitas, ut quantum ab opio & alterco periculi est, tantum præsidii à posterioribus istis. Congelantur itaque spiritus maligni, sed nativi corroborantur. Hac de causa per accidens ab ipsius haustu sudor in quibusdam subsequitur: in pueris efflorescentia faciei, propulsis à centro ad extima vaporibus malignis. In sistenda alvo medicamentum præsentaneum. Fratri tuo, & generoso Dudichio officiosam ex me salutem. Salutant te nostri omnes. Vale. Basilea, vicesima sexta Iulii, Anno Salutis, LXXX.

D. Petro

D. Petro Monavio, Theodorus Zuingerus S. P. D.

Accepi tuas. Neque verò Nephenthes congelando tantum, sed & dissipando & propellendo, confortatis visceribus prȩstat in Epilepticis. In pueris eo exhibito animadvertes faciem rubore suffundi. Congelari verò spirit⁹ nihil mirũ videatur, si momento etiã & à calidis frigida, & à frigidis calida, mediantibus spiritibus, hoc est, corporib. subtilissimis & agilissimis, coagulari animadverteris. Sic oleum camphoræ ab aceto non tantum, sed & ab aqua simplici. Oleum saturni à momento aquæ, oleũ sulphuris crassius ab urinæ spiritu. Iucunda ꝑfectò Empiria, &, ut ingenue dicam, multis otiosis theoriis anteferenda. Recte tu de moscho in uterinis removendo. De mumia non multum laboro. Nam basi medicamẽti, & iis, quæ adduntur oleis, utramq; vim tribuẽdam censeo. Neq; verò margaritarum acredo te offendat, nisi etiam salitum, qui tamen non modo innoxie, sed & magno cum commodo exhibẽtur. Magna sunt hȩc omnia, & prȩclara; sed παρέξοδος interim διὰ μεθόδων ea est, quæ Medicum facit

αὐ]ίθεον. In aniſo purgante ſcammonii molẽ ego neutiquã perhorreſco. Fac periculum. Deſcriptio genuina, quam miſi, niſi quod in ſcheda tua pro Turpeti; Maſtichis an. ʒ ß. ſubſtitues an. ℥ ß. Noſtri non conficiunt, ſed alibi confecto utimur. Catholici decocti ℥ iiij. infunde ℥ ß. caryophyllorum cum ℥ ß. ſyrupi roſati ſolutim. Nihil eo mitius. Nũc adeo quinquagenarium ex infectione hepadis calidioris, toto corpore ſcabioſum, per dies 40. feliciter eo purgavi. Loco vini decocto leniore utentem, victus reliqua ratione liberiore. Purgat tantum, non prolicit ſudorem. Neque eſt ἱδρωτικῶ vim quodãmodo afferri putes, ſi καθαρτικὸν reddatur. Vis illi aperiens tanta eſt, ut purgans ad intima deducere queat: neq; verò tanta, ut per ſudorem purgare queat. Indicat curatio ipſa, nec tu niſi experiare credas. Vino nõ interdico, niſi penetrationis majoris cauſa loco vini ſubſtituendum videatur lenius decoctum. Guaiacone verò vinum venenũ? At & Matthiolus, & Maſſa vino Guaiacano feliciter utuntur. Cratonis formulam probo. Multas conſimiles Maſſæ libellus de morbo Gallico continet.

Turpeti minoralis tot ferè deſcriptiones, quot capita. Neque ego de effectu quicquam aſſerere poſſum, qui præparationem ignoro. Unam habeo, partim diaphoreticam, partim vomitoriam: ſed vehementem utramque. Itaque blandioribus & tutioribus uti malo. Diaſulphuris deſcriptio non placet. Congeries illa medicamentorum mihi non placet. Si Theriaca ſulphur præparatum excipias, cum caſtoreo, thure, camphora (quid enim craſſa illa, & per ſeceſſum abitura moramur, margaritas, lapides) idem facturum putarim. Scilicet & Pharmacopœrum lucro conſulitur, & copia ingredientium medicæ ſingularis memoriæ auctoritati, ſi Diis placet, conſulitur. Etſi & illud verum eſt, Regem absque ſatellitio in publico conſpici non debere. Sic mores noſtri. At Ageſilaus etiam ſolus inter ſuos probabatur. Hæc ego ad epiſtolam tuã raptim. Vale, mi Monavi, & me amare perge.

Baſileæ Calend. Maij. Anno XXCI.

FINIS.

INDEX CONSILIORUM.

14. *Pro*

INDEX.

Dy-

Roborans

FINIS.



JOANNIS CRATONIS URATISLAVIENSIS, ARTIS Medicæ Doctoris, ad artem medicam per Erotemata INTRODUCTIO.

Qua ratione, via, ac modo, mihi discenda est ars medica?

DUo sunt discendi modi: unus, qui in collectione præceptorum, atque sententiarum versatur: quo etiam rudioris ingenii homines usu atque exercitatione imaginem, seu umbram potius artium sibi comparant: qui à Græcis τριβὴ, dicitur. Alter, qui methodo ac recta ratione ad finem scientiæ, vel artis nos deducit: quem τέχνην appellant; hoc recte ars medica discitur.

Quid est methodus?

Est brevissima & arificiosissima ad discendum via: ideò à veteribus dicta ὁδὸς καθόλου μία ἁπάντων κοινὴ τῶν κατὰ μέρος: id est; *Est communis quidem via in artibus*: sed perfecta, & certa, qua vera ratione pervenire ad omnia particularia; seu

res nobis tanquam ſcopos, & metas propoſitas, ad quas noſtra tendit cognitio, potes. Eſt autem via recta, plana, & brevis, & compendiaria, quã cum ingredimur, reſolvimus, vel componimus res eas, quas ἐπίστασθαι deſideramus, ſive ad quarũ cognitionem, propoſito certo ſcopo, ſeu fine, vel principio, devenire cupimus.

Quot ſunt ejuſmodi viæ, quotve doctrinarum ordines?

Ut tres ſunt progrediendi rationes, videlicet, vel à ſummis ad ima; vel ab imis ad ſumma; vel volutatio in gyrum, ſeu in circulum itio: ita tres ſunt viæ methodicæ: Reſolutiva, qua à ſummis ad ima usque fit tranſitus: Compoſitiva, huic contraria, qua à primis principiis, & initiis rerũ, ſeu elementis ad ſummum usque ſcandimus: Definitiva, cum rem animo conceptam, & conglobatam cum omnibus ſuis partibus, quaſi circulo includimus. Nec hîc remoretur diſcentes, quod quidam plures methodos ponunt, & ſubtiliter de methodis & doctrinis methodo inhærentibus diſputant: nam ſi vere rem æſtimare volumus; duæ ſunt ad omnem ſcientiam viæ: ἀναλυτικὴ, καὶ συνθετικὴ: nec plures his, directe, ac ad metam ducentes reperiuntur. Eas verò cum ingredimur; ſæpe ὁριστικῇ διδασκαλίᾳ opus eſt; ſæpè diviſiones, ſæpe demonſtrationes uſurpamus. Sed variis de his opinionibus non debent diſcentes moveri; cùm rei veritas ſit conſpicua, & manifeſta, nam & Geometræ ἀπαγωγὴν πρὸς τὸ ἀδύνατον, quæ refutationi conveniens eſt, ponunt.

De-

Declara hæc?

Non possunt declarari rectius, quam exemplis, ea verò in universo studiorum curriculo multa in conspectum venient. Nam definitivæ methodi, quæ est ratio rectè comprehendendi, atque tradendi res perceptas, atque per divisiones, causarum explicationes, demonstrationesq; certas explicandi. Videbis in arte Galeni, quam μικροτέχνην, seu Parvam vocat. Hunc enim libellum Galenus postremo scripsisse videtur, atque totius artis summam complecti voluisse, ut ad omnem ætateĩ memoriẹ firmiter inhæreret. Quẽadmodum autem in gyrum sese convoluere minimè usitata via est; ita & definitiva methodus magis memoriæ, quam tradendis, & inveniendis artibus servire videtur: nam res quæ inventæ sunt, tanquam μνημόσυνον aptè secundum Dialectices præcepta assignat, atq; observat, ac propterea à Galeno in principio artis medicæ rectè διδασκαλία, seu doctrina ordini inhærens dicitur.

Explica igitur ea, quæ paulo ante de resolutiva, seu de analysi dixisti.

Est quidem hæc res, si ulla alia, explicatione digna: hac siquidem via omnes artes inventæ, atque constitutæ sunt: hac in arte Medica in omnium affectionum cognitionem certa ratione devenimus, & quid faciendum sit, perspicimus: hac denique in intima naturẹ penetralia penetramus. Est autem resolutio, seu analysis progressus, via certa, prælucente nobis notitia finis rei, per ea omnia, quæ ad finem spectant, rectâ ratione, atq;

ordine, donec ad principium, & ad prima ſeu ultima nobis propoſita divina vi intelligentiæ perveniamus, & veram notitiam, atque uſum conſequamur : videlicet vel ab effectu ad cauſam ſervata ſerie cauſarum : vel à toto ad omnes ejus partes; vel ab univerſo ad ſingula; vel à compoſito ad ſimplicia; vel à poſterioribus ad priora.

Da exemplum:

Exempla in Galeno multa ſunt in libro de conſtitutione artis : methodo θεραπευτικῆ, & aliis libris; & nos poſuimus quædam in noſtra Methodo: ſed nunc unum ſubjiciam. Medicæ artis finis eſt humani corporis ſanitatem tueri, morbosque depellere; ut homo ſalvus, & incolumis ſervetur: eſt igitur medicinæ ſubjectum corpus humanum. Ab hoc Medicus, qui arte utitur, & naturæ verus miniſter eſt, vel morbum depellit, vel ſanitatem in eo conſervat: ſed hæc præſtare nequit, niſi intellectis cauſis conſervantibus ſanitatem, vel facientibus morbum: neque niſi per certa ſigna, naturas corporum, & morborum noſcat. His igitur conſideratis, tota ars medica in conſpectum venit: nam primũ ſeſe offerunt duo, videl. corpus humanum, vel in ſanitate conſervandum, hic ὑγιεινὴ, quæ rationem ſanitatis tuendæ monſtrat, locum habet: atque hæc cum conſervet, corrigat, reficiat, & præſervet à periculo, habet adminiſtras φυλακτικὴν, ἐπανορθωτικὴν, ἀναληπτικὴν, καὶ προφυλακτικήν. deinde, cum jam corpus à ſani-

ſanitate receſſit; videndum eſt, quomodo, & quibus de cauſis hoc ſit factum: id ſignorum & cauſarum ope fit. Sequitur igitur pars medicinæ παθολογικὴ, quæ in affectuum præter naturam, videl. morborum, ſymptomatum, & cauſarum conſideratione verſatur. Hanc rurſus σημειωτικὴ, quæ nõ tantummodo prognoſtica ſigna de morbi exitu inveſtigat; verum etiam præterita cognoſcit, & de præſentibus rectè judicat: atque ita & conſervandæ, & curandæ, recuperandæque valetudini conducit. Poſtremo θεραπευτικὴ, quæ laboranti corpori, recta indicatione repertis præſidiis ſuccurrit, atque medetur, atque ratione præſidiorũ diſtinctio fit, in διαιτητικὴν, quæ in morbis victus rationem præſcribit: φαρμακευτικὴν. quæ remedia monſtrat: χειρουργικὴν, quæ ubi opus eſt; manum admovet, ſed cum horum nihil obire poſſit medicus, niſi univerſa humani natura conſtitutioneque corporis, partibus, potentiis, atque actionibus perſpectis; ideo requiritur illa pars, quam φυσιολογικὸν appellant. Ea enim naturam hominis, ejus conſtitutionem, vires, & functiones explicat. Hoc exemplum etſi non valde illuſtre eſt: tamen, quia medicinam totam ob oculos ponit: deinde omnes ac ſingulas partes explicat, proponendum hîc videbatur.

Cupio, & de methodo compoſitiva doceri?

Nulla quidem hac ad docendum, & diſcendum aptior, & cum ea uſus ſit Avicenna, quantumvis ille vitio ſit interpretum corruptus: tamen hactenus in ſcholis magna, & accurata diligentia eſt

conſervatus. Opponitur autem plane reſolutivæ methodo: hæc enim ea, quæ per reſolutionem inventa ſunt, eò uſque digerit, & componit, donec ad extremum finem, & rerum apicem deveniat: ex cauſis inveſtigat effectus: ex partibus totum componit, ex ſimplicibus compoſita efficit; ex prioribus poſteriora nectit: atque id omnium primo loco ſtatuit, quod per analyſin poſtremo eſt repertum, itaque, cum artem medicam hac via tradere volumus; primo φυσιολογίαν explicamus: deinde ad alias (ut in analyſi oſtenditur) progredimur. Ac qui hoc modo in ſtudio medico non verſatur, is verius umbram rei, quam rem ipſam conſequitur.

Doce igitur me breviter partem medicinæ naturalem methodo compoſitiva adumbratam?

Primo ſe offerunt elementa: horum convenientia conſtituit temperamẽta: ſubſequũtur humores, & ſpiritus, deinde potentiæ ſeu facultates. Ad horum operationes, ſeu actiones opus eſt certis membris, ſeu inſtrumentis, ea membra, ſeu inſtrumenta conſtituunt corpus humanum. Fiunt autem in corpore humano mutationes ratione ætatis, temporum anni, regionum & conſtitutionum particularium aëris: quas Græci καταστάσεις vocant: atque his omnibus cognitis, medicinæ eam partem, quæ naturalis dicitur, tenes: ſiquidem hæc quæ recenſui, res naturales vocant. In curativa autem methodo res præter naturam explicant, videlicet morbi, morborum cauſæ, & ſymptomata, quæ morbos conſequuntur, de quibus ſuo loco dicendum eſt. Pri-

Primum, cum naturalem partem medicinæ discere debeam; cupio scire, quid sit natura?

Naturæ nomen apud Hippoc. & Galenum varia significata obtinet: primo significat ipsam temperiem, ut, cum dico, Æstas est natura calida, & sicca: vel naturæ hominum; hæ ad æstatem, hæ ad hiemem se melius habent. Secundo significat ὁρμὴν, seu impetum, & propensionem animi, ut, Ajax est natura iracundus. Tertio, peculiarem constitutionem, ut, quidam sunt natura angusti pectoris: Quibusdam natura caput debile est, sic ait Hippocr. De ratione victus in morbis acutis. Naturæ omnium doceri non possunt. Nunc referantur ἰδιοσυγκρασίαι, s. proprietates individuorum: ut, Quidam natura abhorrent à rhabarbaro. Gal. ad Glauconem, communis, & propria hominũ natura medico noscenda est. Quarto, vim naturalem divinitus ortam, corporũ dispensatricẽ, seu calidum innatum; ut, natura ventriculi est coquere chylum: hepatis generare sanguinem: cordis spiritus, sic dicimus: narura est curatrix morborum, s. cum vis illa insita: rursus sese à remediis recte adhibitis adjuta, atq; excitata erigit, tunc noxia corpori depelluntur, cũ succumbit omnino, neq; medicinæ possunt ad ἐνέργειαν, seu actum ab ea perduci; corpora sanitatẽ recuperare nequeunt, quid autem sit vis illa, quæ una quędam, sed differentia ineffabili, singulis individuis inest, nemo potest satis explicare. definitiones multæ exstant apud Arist. & Gal. sed eas enarrare nunc non est nostri instituti. non raro

etiam pro poteſtate Dei ordinata vocabulum naturæ uſurpatur; ut Hipp. in libro de arte & aqua, οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίνεται. ἅπαντα γὰρ πάθη θεῖα. item in primo de ratione victus: φύσιν πάντες θεοὶ διακοσμήσαν. Sunt & aliæ ſignificationes in Hipp. & Galeno: quas ſtudioſi rei medicæ obſervabunt.

DE ELEMENTIS, ET PRINCIPIIS ANIMANTIS.

Quid differunt principia, & elementa?

UT medici ſuam doctrinam ab elementis ordiuntur; ſic philoſophi à principiis. Sunt autem elementa corpora ſimplicia ex aliis ſimplicioribus facta: quæ in partes diverſarum ſpecierũ dividi non poſſunt: & ejuſdẽ ſunt generis cum iis, quæ ex ipſis conſtituuntur. Principia verò ſunt, ex quibus non modo omnia fiunt, quæ naturaliter exſiſtunt; verum neque ex aliis ſunt, neque ejuſdem generis eſſe poſſunt cum iis, quorum ſunt principia: videl. quatuor qualitates; nempe ſumma caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas: unà cum materia prima, quæ, ſecundum philoſophos, omnibus elementis ſubjecta eſt: quæ omni qualitate caret, & ut ortus, ita interitus, & diſſolutionis expers. Sed de principiis aliter loquitur Ariſtoteles: qui tria ponit: materiã, formam, & privationem. Hæc verò inquirere non eſt medici, qui eſt artifex ſenſitivus. Agemus igitur nunc de elementis.

Quid

Quid est elementum?

Galenus lib. 1. De elementis sic definit: *Est minima rei quam constituit, portio*: sunt enim corpora simplicia, ex quibus id, quod compositum est, primo constituitur. *Minima* dicuntur, quia nullam sectionem, cum ad ea perventum est; admittunt. *Simplicia*; quia qualitate summa sunt prædita, nec quicquam admixtum habent.

Possuntne illa sensu dijudicari?

Sane, ut pura non possunt. Itaque cum medicus sit artifex sensitivus: elementa ipsa, nõ ut puriss. & simpliciss. corpora; (nullum enim elementum purum in animalium corporibus repertitur) sed ut in sensum veniunt, dijudicat: cumque ipsa elementa non pura sint; hinc quoque diversitas partium in compositis sequitur.

Quot sunt elementa?

Non esse unum probat Gal. 1. De elementis ex ratione doloris: unum numquam seipsum non mutat, nec à se patitur; ideo nec dolore afficit. Quatuor autem esse elementa, videlicet ignem, aerem, aquam, terram, tangendi facultas omnium prima ostendit. nam huic offertur calor, frigus humor, & siccitas. Estque quodlibet elementum una harum qualitatum summe præditũ; ut Ignis est summe calidus, & caloris quidem vi exiccat, sed terra est igne siccior: quia omne humidum absumit: ideo est elementum siccissimũ, grave atque constans. Sic aer est humidiss. propter tenuitatẽ, qua eius humiditas ima penetrat:

qua minus humida: etiamsi ii, qui aqua perfunduntur, plus madent, quam qui aëre: est igitur puro igne nihil calidius; terra nihil siccius; aqua sincera nihil frigidius; aëre nihil humidius. Sed quodlibet elementum remissas quoque qualitates habet: ut, ignis siccitatem: terra frigus: aër calore: aqua humiditatem.

Suntne elementa qualitates ipsa?

Minime: sed sunt substantiæ simplices, quibus quatuor qualitates insunt. Acutus ille Arabs Averrois medio modo inter substantiales, & accidentales formas elementa se habere affirmat.

Quomodo constituunt corpus humanum vel alia?

Mistione: est autem Mistio diversorum in unum concretio; seu, ut Aristoteles ait, *miscibilium alteratorum unio.*

Miscenturne elementorũ Substãtia an Qualitates?

Variæ sunt disputationes: quidam solas qualitates elementorum misceri putant: & elementa in mixto viribus tantum, & potestate, non substantia inesse statuunt. Hanc sententiam Avicennæ copiose refutat Auerrois 3. de Cœlo, Com. 67. & dicit, Formas substantiales eorum misceri, & in collectione earum aliam formam provenire: formas autem substantiales elementorum, diminutas à formis substantialibus profectis ponit: & esse eorum medium statuit inter formas, & accidentia. Stoici voluerunt misceri substantias: sed Galenus misceri qualitates, & in mixtione non perdi substantias affirmat.

Ma-

Manentne in mixtis substantiæ elementorum?

Manere statuunt medici: sed alterari transmutatione ea, quæ fit in qualitatibus: sic ossa in homine terræ locum obtinent: spiritus aëris &c. Denique ex elementis primum componuntur simplices partes: ut fibræ, caro, ossa, medullæ. Illa rursus ex sanguine, pituita, bile, & melancholico succo constant. Hæc verò ex illis, quibus corpora nostra nutriuntur: ea autem è terra, aqua, igne, & aëre gignuntur: ex iisdem enim alimur, ex quibus sumus. De secundis verò elementis, seu de humoribus, postea dicendum erit.

Ad quid est utilis medico futuro hæc doctrina?

Ut cognoscat ad elementorum convenientẽ, & legitimam temperaturam consequi sanitatem: & ex eorumdem depravata, & vitiosa mixtione corpora ægrotare.

Quid sibi vult Galenus; cum hominem dicit constare ex partibus similaribus tanquam ex primis, & simplicissimis elementis?

Loquitur de elementis, ut medicus; videlicet de simplicissimis partibus, quæ incurrunt in sensus: ut ipse declarat se in libello de optima humani corporis constitutione, inquiens; ὁμοιομερῆ καλεῖται, δηλονότι πρὸς αἴσθησιν ἁπλᾶ: id est, *similares, seu ejusdem naturæ partes vocantur; quia judicio sensus simplices sunt*, ideo etiam vocat illas ὁμογενῆ, & ejusdem generis, & στοιχειώδη, sensilia elementa: nonnunquam στερεὰ μόρια, solidas particulas: nunc πρῶτα μόρια, prima corpora: videl. quæ

ex

ex illis non ſolum conſtant organica membra, ſeu partes inſtrumentariæ, ſed totum corpus componitur.

Quid igitur eſt pars ſimilaris?

Galenus definit partes ſimilares eſſe, quæ undiq; in ſimiles dividuntur, & 8. De placitis Hipp. & Platon ait: *Similares partes ſunt, quæ omnes tum ſibi mutuo, tum toti ſimiles partes habent.* ut arteriæ, venæ, nervi, oſſa, cartilagines, membranæ, ligamenta, tunicæ, caro, & id genus alia.

Eſtne partium ſimilarium differentia?

Etſi difficile eſt partem plane ſimplicem in corpore reperire, tamen, quæ ſenſu judicantur, ac ſimplices, & ſimilares vocantur, ſunt in duplici differentia: quædam enim vere ſunt ſimilares, quarum univerſæ particulæ invicem ejusdem ſunt ſpeciei; nec in partes alterius ſpeciei dividi poſſunt; ut fibræ, oſſa, membranę, caro &c. Aliæ ſunt ſimilares, quæ non revera undique ſimiles ſunt, ſed in partes alterius naturæ dividi poſſunt; ut venæ, & arteriæ, quæ ex fibris, membranis, ſeu tunicis conſtant, ideoque & Galenus eas è numero ſimilarium: aliàs, ut in lib. de inæqualibus temperaturis, ſubmovet: aliàs in eo collocat. Etſi autem neceſſe eſt ſimilarem partem integri ſubſtantiam retinere: tamen non ſemper propterea appellationem retinet: quæcumque vero pars in corpore in diverſas ſpecies dividi poteſt, ea *inſtrumentaria* dicitur.

Quid eſt pars inſtrumentaria?

Pars inſtrumentaria Græcis δεύτερα συνθετὰ, ἀνο-

ἀνομοιομερῆ, ἐνεργητικὰ, καὶ ὀργανικὰ appellantur: quæ ex ſimilari compoſita eſt, & actionem edere poteſt. ſed conſtituunt tamen quidam recentiores inter ὀργανικὰ μόρια, inſtrumentarias partes, & organa, differentiam: alii dicunt partem inſtrumẽtariam inſtrumentum quidem eſſe: ſed non omne inſtrumentum eſſe partem inſtrumentariã. Hæc ſane illis relinquimus: inſtrumentum enim, ſeu organum quælibet pars dicitur, quæ perfectam actionem edere poteſt, atque ita venæ, arteriæ, nervi, tum inſtrumenta, tum partes animalis ſunt, ut Galen. 1. Meth. affirmat. & primo De differ. morb. diſcrimen ponit inter inſtrumenta prima & ſecunda: vena enim inſtrumentum primum eſt dignius ſecundo. Pars verò inſtrumentalis ſimplici non opponitur: ut tribus rationibus adductis probat doctiſſ. Fernelius. Sed de his diſputare non multum refert.

Recita partes inſtrumentales.

Hoc ſi velim, totius corporis partes enumerandæ eſſent: ſed petantur appellationes ex Anatomicis libellis nunc hoc tantum monebo, univerſum corpus animæ inſtrumentum eſſe, & diſtingui in caput, thoracem, ſeu pectus, ventrem, & artus: caput rurſus in faciem, frontem, tempora, oculos, aures, naſum, atque alia: thoracem in pectus, latera, atque in his cor, & pulmones continentur: venter in abdomen, & ſubdita: ut viſcera, ſtomachum, inteſtina, renes, veſicam, &c. artus in crura, brachia, humeros, cubitus, manus: hæc rurſus in alia; ut in muſculos: item manus-

nus in digitos, donec ad partes simplices perveniatur: ut cum digitum in cutem, carnem, venas, arterias, nervos, tendines, vincula, seu ligamenta, cartilaginem, membranas, & ossa dividimus. Atque hæ sunt in corpore similares partes, verè sic appellatæ, nempe decem.

Suntne spiritus, lac, semen, sanguis, & reliqui tres humores, videl. pituita, bilis flava & melancholicus succus partibus similaribus annumeranda?

Doctissimo Fernelio, atque Montano non recte videtur partes dici: nam hæc continentur in humano corpore, & possunt ex eo diffluere, ac rursum restitui. Pars verò dicitur ea, quæ toti corpori communi vita conjuncta est, nec ab eo diffluit, aut in corporis nutrimentũ transit: ac usum & functionem, seu actionem certam in corpore habet: ideoque neque humores concreti intus: vel foris, ex quibus tumores fiunt; ut verrucæ corporis partes sunt. Sic nec pili, nec ungues; quia non ita conjuncti sunt, ut communi vita totius fruantur. Sic nec adeps, qui est pars pinguior sanguinis, & membranis inhæret tanquam oleũ, atq; earũ nativa frigiditate, atq; densitate cõcrescit: multo minus excrementa, & superflui humores, corporis sunt partes. De his verò prolixè disputare supervacaneũ videtur: nã Galenus noster 1. Methodi, partem esse definit, quæ complet locum, atq; integrat. nec odiosè pugnandum censet; si quis partem *particulam*, aut *particularem partem* appellandam putet.

Quid de cerebro, & spinæ medulla censes?

Cerebrum, & spinæ medulla vere sunt partes

ex ſemine generatæ. item, ut muſculorum caro ex ſanguine, ac non modo vitam; ſed & uſum inſignem habent. Similares autem partes minus proprie dicuntur; ſicut nec muſculorum caro, quæ fibris, & membranis conſtat.

Qui ſunt partium uſus, & actiones?

Singularum partium uſum, ac actiones, ſeu functiones recitare res eſt longi tẽporis, & multæ operæ: nec hoc facere ſinit compendii ratio. Hoc autem obſervandum eſt partium corporis alias eſſe principes; videlicet, cerebrum, cor, jecur; quia hæc facultatum, ſeu potentiarum ſedes ſunt. his & teſtes annumerant, quod eis inſit generatrix facultas, & ſerviant conſervationi ſpeciei. Aliæ ſunt auxiliares, ſeu miniſtrantes principibus, & ab his derivantur; ideo iis impeditis, & laborantibus, principes quoque afficiuntur; ut nervi, arteriæ, & venæ. Nam per nervos defertur à cerebro in reliqua membra animalis facultas, & fit ſenſus, atque motus. Per arterias à corde vitalis transfertur, unde corpora ſpiritu vitali incaleſcunt. Per venas ab hepate, veluti per canales ſanguis in corpus deducitur. Per vaſa ſeminaria ſemen à teſtibus ex præcipuis partibus corporis deductum in uterum defertur. Aliæ ſunt gubernantes ſeſe; quæ tamen à principibus vim mutuantur; ut ventriculus, inteſtina, ſplen, renes. Ventriculus enim ſua vi chylum efficit: ſed à jecore vim nutriendi: à corde vitalẽ calorem: à cerebro ſentiendi facultatem ſumit: ita & reliquæ. Aliæ proprias facultates obtinent;

ut

ut os producendi ossis, caro carnis. in omni autem parte primo essentiam, deinde actionem, tertio societatem, quam cum proximis habet, cognoscendam esse monet Galenus noster primo De locis affectis.

DE TEMPERAMENTIS.

PRimum hoc tenendum est, differre mixtionem à temperamento: nam temperamentum non est mixtio: sed ipsa mistionis ratio, & concordia quædam, qua elementorum non solum qualitates, sed substantiæ in mixto cōveniunt, & consensu, atq; concentu quasi suo temperamēto efficiunt. Non igitur elementa ipsa, neq; illorum mixtio temperamentum dicitur, sed convenientia, proportio, harmonia seu æqualitas, & mistionis ratio.

Quid est temperamentum?

Est conveniens è quatuor elementis, seu calido, frigido, humido, & sicco mistio; seu potius ipsius mixtionis ratio & analogia convenientiā, & æqualitatem quandam efficiens. Barbari *complexionem* vocant quia fit elementorum complexus quidam, & mutuus consensus proveniens ex actione, & passione primarum qualitatum, ita ut ipsæ partes elementorum redigantur in minima, & perfectissimè commisceantur, ac consensum efficiant.

Quot sunt temperamentorum differentiæ?

Crasis

Crasis seu temperamentum habet unam normam, vel regulam; videlicet εὔκρατον, seu temperatum; cum scilicet, calidum, humidum, frigidum, & siccum æquali temperie, in unum coeuntia propriè dictum temperamentum efficiunt, quæ autem ab hac temperie discedunt, ea, etsi temperamenti appellationem retinent; sunt tamen intemperata. Necesse verò est ibi temperatum, seu εὔκρατον non reperitur; ut vel una qualitatum excellat, vel summum duæ, itaq; quatuor erunt simplices temperaturæ; videlicet calida, frigida, humida, & sicca, & totidem compositæ, quæ ex duorum simplicium exuberantia provenient; videlicet calida & humida: calida & sicca. Atque ex his manifestum est novem esse temperamentorum differentias, nec plures posse constitui: nam sive in conventu calidi, & sicci fit paritas, sive alia qualitas aliam superet; non tamen novam differentiã constituunt. Quò autem primarũ qualitatum in mistione maior est æqualitas? eò firmius, & durabilius temper amentum efficiunt: quò vehemẽtius inter se discrepant, atq; δυσκρασία major est; eò infirmius reddunt. Hinc duo observanda: primum in ipsa εὐκρασία satis amplam esse latitudinem: deinde tum morbum, tum sanitatem ex harum consideratione dijudicari. id quod Gal. 1. lib. De tuenda sanitate docet, nec tantum in actionis læsione consistere.

GALENI TABULA.

- *Æqualitas alia.*
  - *Ponderis,*
    - *Absoluta,*
      - *In humana specie respectu totius substantiæ.*
    - *Respectiva,*
      - *In cute, respectu omnium membrorum corporis, & consequenter totius substantiæ.*
      - *Genus ad genus, ut Omne animal æqualius omnibus plantis.*
      - *Species ad speciem, equus æqualior formica.*
  - *Iustitiæ ab operationibus.*
    - *Secundũ perfectionem ultimam: Homo æqualis respectu omnium animalium.*
    - *Secundũ perfectionẽ particularem diminutam in instrumentis.*
      - *Currẽdi lepus: coquendi, Struthiocamelus: Videndi, Aquila: Odorandi, Canis: Æqualior homine, & sic de aliis.*

Doce me de æqualitate?

Æquale proprie id dicitur, in quo elementorum, seu contrariorum, æqua prorsus est portio, hoc Galenus cogitatione potius, quam reipsa exsistere affirmat. Vocant autem medici *temperatum*

ratum ad pondus, cum ſcilicet non plus de calido adeſt, quam de frigido: non plus de humido, quam de ſicco: ſed æqua plane eſt proportio. Deinde temperatum, ſeu σύμμετρον dicitur, non quidem ſimpliciter; ſed cum inanimantium, aut ſtirpium genere, vel ſpecie, ea eſt mediocritas, quæ conſervationi animantis, vel ſtirpis naturæ convenit. Hoc *temperamentum juſtitiæ*, ſeu *æquale ad juſtitiam* appellant: alia enim eſt temperatura conveniens homini, alia leoni, alia equo, alia pomo. Sic homo optime ſecundum ſpeciem temperatus optimas edit actiones: ſic pomus ſecundum ſuam ſpeciem temperata optima fert poma.

Eſtne admittendum temperatum ad pondus?

Arabes non admittunt: Galenus vero ne momento quidem durare ait. Poſſe concedi quidam probant; ſed hæc ad tyrones non pertinent. Revera & abſolute loquendo non admittendum eſt. Quo ad ſenſum autem, hoc eſt, medice loquendo, aliquem locum habere poteſt.

Cum quæritur, cujus temperamenti ſit homo, leo; & quid reſpondendum?

Reſpondendum eſt πρός τι, non abſolute: nam homo calidus, & humidus dicitur reſpectu temperati. Sic leo poteſt dici frigidus reſpectu calidioris leonis, Sic herba dicitur calida, vel frigida reſpectu corporis, cui applicatur. Sed, ne quis in reſpondendo aberrare poſſit; ſciendũ eſt, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum duobus

modis dici, absolute videlicet de corporibus simplicibus, hoc est, de quatuor elementis: & per excessum: atque rursum simpliciter, vel nulla facta collatione, seu relatione: sed considerata tota natura, & substantia, ut cum calidum dicimus, in quo eminet caliditas. Secundo per relationes, videlicet ad temperatum ejusdem generis; ut leonis ad hominem: censetur enim homo omnium animalium temperatiss. vel ad σύμμετρον ejusdem speciei; ut si puer, vel senex cum juvene conferantur: vel si individua inter se conferantur; ut, si Gotfridus respectu Petri, vel Joannis dicatur calidus, vel frigidus.

Quis est index temperamentorum?

Quod est calidum, frigidum, humidum, & siccum ἐνεργείᾳ, i. actu, seu reipsa, id tactu percipitur. Ideo tactus temperamentis index est. Cæterum instrumentum tactus in homine cutis est, ea præsertim quæ in manu, modo talis sit, qualem natura confirmavit, nec ab externis caussis læsa, hæc itaque calidum, frigidumque discernit. In humidi autem, & sicci observatione similis ratio adhibetur: siquidem quod siccum est, durum id quidem esse consuevit: non tamen omne durum siccum; nisi sit calidum: nam & frigore concreta dura sunt: itidem ea, quæ tendi possunt. Sic humidum quidem non statim molle dicitur: siquidem à vehementi calore sit fusum. Proinde quo pacto humidum, & siccum in calore, & frigore sese habeant, ratione discernendum est. & paulo post notas temperamentorum ostendemus.

Nonne

Nonne sensu omnes partes interioris corporis vivi calent? erunt igitur omnes calidæ?

Viventis corporis, seu ejus partis integri temperamenti constitutio consistit in temperie elementorum, & spiritus, seu caloris insiti. Est autem alius calor, qui infusus dicitur à corde; vel adventitius ex vaporibus, qui similitudine quadam respondet calori ignis; vel vini meracioris, à quo corpus potest incalescere, aut aromatum. Hic autem calor infusus, atque adventitius, cum ad absolutionem substantiæ non faciat; in notione temperamenti non comprehenditur, nec, dum hoc calet corpus, vel membra, ex ejus accessu calida fiunt: suo temperamento calida esse censentur, ac propterea solus tactus temperamenti interiorum partium non est index. Sed ratio quoque, quæ constitutionem, & structuram substantiæ considerat, adhibenda est.

Doce me de singularum partium humani corporis temperatura?

Partium humani corporis temperamenta non solum sensus judicio; verum substantiæ, & compositionis consideratione noscuntur. Oportet autem, cum de partium temperamento fit judicium; ex universis corporis partibus sumere unam; eamque mediam statuere, à qua reliquæ partes decedant. Ea vero pars non solum tactus judicio; sed substantiæ, & compositionis etiam ratione sententia omnium Medicorum cutis censetur: est enim cutis substantia, caro mollis, & nervus durus: ideoque medium inter humi-

dum, & ſiccum obtinet. Deinde tactus ipſe nequecaloris, neque frigoris; modo recte ea ſeſ habeat, in ea exceſſum percipit. Quare jure optimo medium locum obtinet, & temperatiſſima pars corporis dicitur; ut in tabella à Montano facta videre eſt. Cæterum illud monendum eſt, interdum factum in calido quoque, & frigido aberrare: ſæpe enim id tactu calidum eſt quod ſubſtantia frigidum: non raro per accidens frigida ſunt calida; ut cor tactum eſt calidiſſimum in homine: ſubſtantia autem ejus ſimplici carne frigidior eſt: quia panniculis & fibris multis conſtat, quæ ſunt partes frigidæ. Sic venæ, quia ſpiritu, & ſanguine incaleſcunt, calidæ, cum earum ſubſtantia; quia exanguis, frigida ſit. Sed ſunt tamen quædam notæ; ut partes, quæ multum ſpiritus, & ſanguinis continent, calidæ plerumque: quæ iis deſtituuntur frigidæ. ſic molles, & pingues humidæ: duræ, ſiccæ. Hæc quidem non tam ad obſervationem temperamenti, quam medicamenti applicationem conducunt: conveniens enim eſt, ut medicamenta ad ſingularum partium temperiem accommodentur. Sed de his aliàs. Nunc tabulam, in qua ſingularum partium temperaturam, & quaſi gradus in conſpectum ponemus.

MON-

MONTANI TABULA.

SICCA

Pili
Ossa
Cartilago
Ligamentum
Chorda
Panniculus
Arteria
Vena
Nervi motus
Cor
Nervi sensus
CUTIS
Musculi
Renes
Hepar
Pulmo
Caro testium
Nucha
Cerebrum
Adeps
Pinguedo, sanguis
Phlegma

HUMIDA.

FRIGIDA

Pinguedo
Adeps
Cerebrum
Spinalis medulla
Panniculus
Ligamentum
Cartilago
Ossa, Pili
Phlegma.

CALIDA

Cor
Spiritus
Sanguis
Hepar. Caro
Musculi
Splen, Renes
Tunica Arteriarũ,
Venarum.

ALIA

ALIA TABULA.

CALIDA.

Spiritus
Cor
Sanguis
Caro
Iecur
Lien
Renes
CUTIS.
Adeps
Pinguedo
Cerebrum
Spina medulla
Nervi
Vena
Arteria
Membrana
Tendo
Ligamentum
Os
Cartilago

FRIGIDA.

HUMIDA.

Cor
Renes
Hepar
Lien
Caro qualis in musculis
Pulmo
Spina medulla
Cerebrum
Ossium medulla, Adeps
Sanguis
Pituita

SICCA.

Nervi
Vena
Arteria
Membrana
Tendo
Ligamentum
Cartilago

Quomodo de universo hominis temperamento iudicandum?

Audivisti singulas partes totius corporis proprium obtinere temperamentum, neque mutatis illis effici ex his unum quoddam: sed calidas partes frigidis, humidas siccis, ad mutuum consensum, æqualitatemque conservationi totius corporis necessariam conspirare. Hinc autem cutem ita affici, ut eò prorsus sit temperamento, quò est universum. Itaque solius cutis conta-

ctum,

ctum, nisi ab externis causis facta fuerit in eam mutatio; licet de temperamento constituere. Sed, ut excessus, atque defectus observari possit; temperatum hominem potius cogitatione, quam reipsa (siquidem ad vnguem temperatus vix momentum sic exsistit) statuimus, atque ab eo alios caliditate, alios frigiditate jam recedere judicamus.

Quæ sunt optimæ temperaturæ notæ?

Corporis optime temperatum, neque medio modo se habet, neque densum, neque rarum, neque durum, neque molle, neque hirsutum, neque glabrum est: sanum exsistit, ac externas injurias fert optimis, & temperatissimis moribus, & reliquis actionibus est præditum.

Quæ sunt notæ in genere, quibus de qualibet temperatura sit judicium?

Prima nota est tactus: deinde substantiæ, & corporis habitus: qui enim carne abundant, calidiores sunt iis qui adipe; obesitas enim, quæ ab adipe ex frigore, est plurima. Caro multa caloris, & humoris index est. Tertia, operationes; nam integræ actiones optimæ, & firmæ temperaturæ notæ sunt. Si vero deficiat; celeritas motus caliditatem; segnities frigus indicat. humiditas autem plerumque hebetat actiones, sicut siccitas acuit. Quarta, ætas: hæc enim ex inevitabili necessitate advenit, & mutat corpus. Quinta, anni tempus, regio, seu constitutio aeris, in quo vivimus: ut Germani frigidiores, & humidiores sunt Æthiopibus Singulæ autem regiones

ſuam habent temperiem propriam, in qua ſuum quoq; εὔκρατον reperitur. Addunt & colores: ſed ii humores rectius indicant. Temperamenti autē diiudicatio vix poteſt eſſe certa, niſi parentum natura ſit nota; quam plerumque genitam ſequitur. Porro hic cavendum eſt, ne ex humorū abundantia temperamentum æſtimemus: nam multi ſunt candidi, & molles, & tactu frigidi, qui plurimum bilis eijciunt. quidam frigidum, & ſiccum temperamentum habent: qui tamen non multum melancholia abundant Sic ſenes, quorum temperamentum eſt frigidum, & ſiccum, pituitoſi ſunt. Deniq; victus ratio ſtatim quidem humores; ſed non temperamenta variat, neque ab humoribus temperamentorum differentiæ. vel appellationes conſtituendæ.

Permanetne temperamentum, an vero mutationi eſt obnoxium?

Temperamentum eſt conſtans, & firma habitudo; ideoq; primum & ingenitum temperamentum numquam prorſus mutatur: nam in id ſive ætatum, ſive victus ratione, ſive aeris, ſeu aliarum cauſſarum incurſu fiat mutatio; ſemper tamē animal propenſum, atq; proclive eſt. & Hipp. dicit: *In morbis minus periclitari, quorū naturæ morbus convenit, aut ætati, aut habitui, aut tempori*, &c. manifeſte indicans mutari aliquo modo temperaturam ætate, victus ratione, &c. Denique (exempli cauſa) cum calidi calidis morbis tentantur, minus periclitari, quam ſi frigidi: ſiquidem

quidem depulsis caußis calorem efficientibus facilius ad temperamentum congenitum redeunt; sic senes in morbis frigidis minus periclitari, quam iuvenes, &c.

DE ÆTATUM TEMPERAMENTIS, *atq; ut ætas temperamentum immutetur.*

NON solum ætas, quæ varias mutationes temperamentis, & corporibus affert: verum & aer, alimenta, exercitia, animi motus, excrementa suppressa, humores aucti vel diminuti, varie afficiunt corpus ita, ut nostri non sit una figura status. Sed, quò melior constitutio corporis, & temperatura est; eò rectius, & facilius has omnes externas causas tolerat, & sustinet: Quò illæ infirmior, atq; major δυσκρασία in corpore, eò difficilius. Inde senectutem quoq; corporibus ante annos advenire videmus. Sed de ætatibus nunc agamus: de reliquis, aliàs.

Ætas, sive αἰών, est vitæ spacium, seu curriculum a primo ortu usq; ad extremum spiritum: in quo manifeste corporis constitutio eam mutationem sustinet, quam nulla ars, nulla industria reprimere potest.

Quid est discrimen ætatum?

Nec proceritas, nec color, nec pili nostri decernunt ætates; sed ipsius temperamenti alteratio, quæ fit non ab externis caussis, ut aëris, cæliq; constitutione, victus ratione sed ab interiore, & insita corporib. caussa interitus, quæ ab humido,

quo

quo maxime omne animal in ortu abundat, ad extremam ſiccitatẽ progreditur, donec calor cum ſuo pabulo extinguatur, & mors ſubſequatur: ut deinceps audiemus.

Quot ſunt ætatum differentiæ?

Alii quatuor, alii quinque, alii ſex differentias ponunt. Gal. 4. De ſalubri victus ratione quatuor recenſet; ſed nos eos ſequemur, qui quinque ætatum differentias ponunt. hoc autem primum tenendum eſt, Quodcumque temperamendum quis a prima conſtitutione ſit nactus, id ineunte ætate calidum, & humidum: florente calidius, & ſiccius: matura, collatum ad ſe, temperatum dici: atque hoc modo ab ætate, quæ nos neceſſario comitatur, mutari. Vt qui a primo ortu calidiores, & ſicciores ſunt, perpetuo reſpectu alterius frigidioris, vel humidioris, tales permaneant: ſed tamen ſui reſpectu ſicciores, & frigidiores fiant. Ideoq; temperamentum, quod a natura procedit, ſimpliciter quidem ita dicitur: quod vero ab ætate, relative: neque enim ſimpliciter temperatus puer, aut ſenex dici poteſt.

Recenſe igitur ordines, ſeu differentias?

Prima ætas illa eſt, in qua quidem augetur caliditas: ſed, cum quisque humidiſſ. naſcatur: humidum paulatim decreſcit, & ad aliquem ſiccitatis gradum tendit. In hac ſunt primo infantes uſq; ad tertium, quartum ve annum νεογνεῖς, & βρέφη: deinde durat pueritia usque ad decimum quartum annum. ſequitur hanc pubertas. Hæc initium habet ab anno *XV*. & uſq; ad *XVIII*. pro-

vehitur

vehitur. hinc ętas μειρακίων, i. adolescentum sequitur: quæ & τέλγυς complectitur, usque ad *XXV.* annum durat. Secunda vitæ ætas, quæ venusta, agilis, & ferox est, calida quidem, modiceq; humida; sed respectu pueritiæ calida quasi, & sicca exsistit. hęc est græcis ἐξιφηΐζων, sive νεανίσκων Latine *iuventus* dicitur: duratq; ad annum usq; *XXXV.* vel quadragesimum. atq; in hac est ἀκμὴ, id est, vigor, & flos ætatis: ideo & ἀκμαζόντων appellatur. Tertia ætas καθεστηκυῖα dicitur ab Hipp. i. constans, & subsistens, seu matura. in hac si unquam alias, corpus respectu præcedentis, & insequentis ætatis est temperatum, & summum ad annum quinquagesimum durat. hos Græci μεσήλικας, quasi medium obtinentes: & hanc ætatem ἀνδρῶν ἡλικίαν, seu ἀνδρείαν, vocant. Quarta ætas est eorum, quos provęctæ ætatis Latini appellant, seu ætatem ingravescentem, vel devexam: Græce παρακμαστικὴ, seu παρακμὴ dicitur. In hac iam frigidum, siccumq; corpus efficitur, nec indiget humidi restitutione multa: quia non multum dissoluitur, & corpus iam excrementitio humido abundare incipit. Durat autem ad annum quintum, & sexagesimũ. Quare & isti ὠμογέροντες dicũtur, hoc est, qui viridi senectute sunt præditi. Sed omnino ætates certis annis describi non possunt in singulis individuis, neq; etiã nominibus in tãta sæculi nostri miseria, & corporũ corruptione. Quinta, est γερόντων, seu πρεσβυτῶν, id est, senũ: licet γέροντες recte illi, qui in quarta ętate sũt, appellantur: qui vero plane sunt decrepiti, πέμπελοι, id est,

ad

ad manes mittendi, seu *silicernia* nominant. In hac subinde frigidiores, & ficciores fiunt homines, donec mors subsequatur: senum enim temperies frigidiss. & ficciss. est: ut refert Galen. 2. De temperamentis. Nec est, quod quis senes ideo humidos appellet; quia excrementis humidis abundant: siquidem ipsas solidas partes, & membra in senibus ficciora fieri dicimus: capacitates autem humiditate superuacanea impleri. Hæc de ætatibus. Quia vero ex anni temporibus itidem, ut ex ætate, licèt non ad eundem modum, calor innatus mutatur: atque inde in temperamento quoq; fit alteratio; proinde de quatuor anni temporibus agendum est.

DE TEMPERAMENTIS *quatuor anni temporum.*

QUatuor sunt anni tempora: Ver quidem temperatum: Æstas calida, & sicca: Autumnus frigidus, & siccus: verùm non perpetuo: Hiems frigida, & humida quia frigiditas superat caliditatem veris: & humiditas siccitatem autumni. huc etiam singularum regionum temperatura referatur.

Quomodo dicis Ver temperatum, cum Hippoc. & Medici dicant calidum, & humidum, quæ excessum indicant?

Hoc a medicis ideo factum est: quia quatuor anni temporibus quatuor temperamentorum conjun-

conjunctiones applicare studuerunt: recte, secusve, nunc non inquiremus.

Cur igitur in Vere multi sunt morbi? si esset temperatum; foret & saluberrimum?

Hoc fit non Veris vitio: quod cum vita consistat in calido, & humido, respectu humani corporis, non solum temperatum; sed etiam naturæ amicum est, sed quia humores coacervati, & retenti sunt per hiemem intra corpus, & ineunte Vere ex profundo corporis pelluntur: ideoque si quis tum ægrotat, non tempori verno: sed pravis humoribus per hiemem collectis adscribendum est: nam & Hipp. dicit Ver ἥκιστα θανατώδεις, id est, morbis, qui minime mortem afferunt, obnoxiũ. Contra vero de autumno affirmat: cum is in calore, & frigore maxime inæqualis sit.

Cur dixisti autumnum non esse perpetuo frigidum, & siccum?

Propter inæqualitatem: quia in eo modo frigus, modo calor eodem etiam die intenditur: sic neq; in humido, & sicco æqualitatem retinet. Sed hæc de quatuor anni temporibus satis: quæ hoc sunt insalubriora, & magis temperamentorum mutationi deserviunt, quò a suo temperamento longius recedunt: aeris enim mutatione prompte afficiuntur spiritus: deinde humores: postremo etiam solidæ partes. Atq; ex generali de quatuor anni temporibus doctrina de particularibus facile est iudicium.

Recte-

Rectene temperamentum sanguineum, biliosum, pituitosum, aut melancholicum dicitur?

Galenum, atq; recentiores etiam medicos, viros eruditione, & usu artis excellentes sic loqui videmus: humores enim tanquã elementa corporis considerat. Verum doctiss. Fernelius hoc improbat, & dicit temperamenti rationem ad elementa; non ad humores referendam. Sunt autem ista humorum nomina. Itaq; biliosum quidem hominem eum, in quo est copia bilis; sed non bilioso temperamento præditum recte dici: nequaquam enim in humore, qui etiã sępe prę-ter naturam est, temperamentum collocandum: sed in primarum qualitatum convenientia ad conservationem generis, speciei, individui, aut partis ejus necessaria. imo & humores proprias temperaturas habent.

DE HVMORIBVS.

QVicquid in corpore fluidum continetur, illud humor, seu ὑγρὸν dicitur: sive alimentum præstet; ut chylus, vel chymus: sive succus ex hoc confectus; ut sanguis, pituita, bilis, & melancholicus succus: sive aliquis horum humorum a calore præternaturali, vel admixtione alterius humoris præternaturalis, atq; excrementitii factus, sive excrementum; ut mucus, sputum, vrina, sudor: sive utile excrementum in corpore; ut lac, semen, vel humores contenti in vasis certis, sive humor secundarius: qui jam in nutrimen-

tum

tum corporis cessurus est: sive in oculis, aut in aliis partibus, de quibus postea dicemus. Nunc autem de humoribus sic proprie dictis agendum est.

Quæ est humorum generatio?

Quæ sit humorum generatio, optime docebitur; cum de nutritione agemus. sed, quia ad alterationem temperamentorum humores non parum faciunt; hoc quoque in loco doctrina de humoribus instituenda est. Alimentum intra corpus sumptum diversis constat partibus, tenuibus, aqueis, & crassis: &, cum percoquitur in ventriculo; efficitur chylus, seu cremor: hic per pylorum in jejunum transmissus, & a venis mesaraicis in hepar vectus χύμος, i. succi appellationē obtinet In hoc succo, quēadmodū in ipso alimēto, & chylo diversæ sunt partes; quædā crassiores, quædam tenuiores. Chymus vero vi insita hepati in sanguinem, seu massam sanguineā convertitur, atque in ea massa quatuor humores naturales cum humoribus ipsis, quos deinceps *extrementum utile* dicemus, sunt, & appellantur sanguis, pituita, bilis, succus melancholicus: ac simul venas omnes, defæcati tamen prius in corpore sano pertranseunt. Horum omnium naturalium humorum caussa efficiens intrinseca est calor naturalis temperatus ad justitiam, ut vocant: sicut præternaturalium calor præternaturalis. Efficientia autem extrinseca, sunt aer, cibus, potus, somnus, vigiliæ, affectiones animi, si

non modum excesserint, & temperate se habuerint. Materialis extrinseca est omne genus elementorum temperatas qualitates obtinens, & nutritioni commodum. Intrinsecum materiale est chymus è chylo extractus. Finalis, ut massa sanguinea conversa in humorem alimentarium, nutriatur corpus, & ex eius parte subtiliori generentur spiritus In quibus autem corporibus humores isti naturales sunt in debita quantitate, ea sana dicuntur. Deque illis intelligendus Aphorismus; *Corpora sana difficillime ferunt mutationes; quia ejusdem substantiæ partes unitæ non possunt citra violentiam divelli* Cum vero unius quantitas nimium augetur, nisi removeatur, & analogia humorum conservetur; febres generantur, putrescente scilicet eo humore, qui auctus est, obstructis jam viis, per quas natura eum secernebat. Sed de his aliàs.

Doce me de sanguine?

Sanguinis appellatio dupliciter accipitur apud medicos: aut pro tota massa generata simul, & semel ab eodem calore, scilicet naturali in hepate, atque transmissa in venas: & de hoc intelligimus medicos, cum affirmant solo sanguine nutriri corpus: aut pro humore singulari distincto à reliquis tribus; qui, etsi in venis, & hepate non exquisitus, & ab aliis humoribus substantia separatus reperiatur, tamen distinguendus est à reliquis humoribus. ut Galen. 8. De decretis Hipp. & Platonis & in 2. Aphor. com. 4. docet. Hujus

caussæ

caussæ efficientes intrinsecæ sunt cibus, potus, aer, animi motus, somnus, & vigilia, inanitio & repletio, naturaliter se habentes nec, cum excedunt, & deficiunt, non naturalem humorem; sed præter naturalem generant. Efficiens vero intrinsecum, quemadmodum reliquorum humorum omnium est calor hepatis temperatus: in solo enim hepate humores naturales generantur, & ratione loci, generationis, ac caussæ efficientis præcipue à non naturalibus, atque præternaturalibus differunt. Caussæ materiales & ipsæ sunt extrinsecæ; ut alimenta, quæ in qualitate, quantitate, & substantia oportet esse temperata intrinseca ipse chylus, vel chymus. Forma cujuslibet succi, vel humoris est ipsa humoris substantia, qua humor est talis: non accidentia; ut dulcedo in sanguine, quia temperatus: vel rubedo quam à carne hepatis contrahit: aut calor, quem habet à corde. Finalis, ut nutriantur, & conserventur omnes partes carnosæ, atque optimi, & temperatissimi spiritus procreentur. hinc sanguis vere thesaurus vitæ à medicis dicitur: quem natura ita custodit, ut facilius reliquis omnibus humoribus patiatur vitium obvenire, eosque putrescere, quam ipsum sanguinem.

DE PITVITA.

UT ex chylo cocto in ventriculo, in hepate deinceps generatur massa sanguinea

continens quatuor humores:ita ex cibus pituitosis generatur quædam species pituitæ in stomacho non naturalis; sed media inter naturalem, & præternaturalem pituitam. Appello autem non naturalem hanc pituitam; quia nec præternaturalis est, nec omnino naturalis: sed in potentia saltem. hoc modo cibus, somnus, &c. dicuntur res non naturales à medicis; quia possunt se secundum naturam, & præternaturam habere. Ex hac pituita, quæ, ut dixi, generatur in stomacho, fit massa sanguinea, quemadmodum ex chylo, cum defertur in hepar: atque continet quatuor humores naturales.

Quid est pituita naturalis?

Est humor massæ sanguineæ, mixtus à calore naturali hepatis minus elaboratus, atque subcrudus, naturaliter membra humidiora nutriens. Etsi autem ad eam temperiem, ad quam sanguis, non devenit: tamen eandem caussam intrinsecam efficientem habet, videlicet calorem naturalem: materiam, frigidiores, & humidiores, seu crudiores partes chyli suppeditant. Finalis caussa est, ut humidas, & frigidas partes corporis alat, & ipsa in sanguinem coctione concedat; id quod in neutra bile contingit. Habet etiam sua accidentia; videlicet quod est dulcis. A contrariis caussis generantur in venis duæ pituitæ species præternaturales, & quatuor species extra venas, videlicet pituitæ excrementitiæ. Porro pituita ut in omnes humores converti potest; ita præter-

natu-

naturalis omnium affectiones acquirit. ut ostendemus.

Explica duas species pituitæ, seu phlegmatis præternaturalis in venis?

Una est acida, quæ præter coctionem in ventriculo factam, in hepate non est alterata. ideo propter paucum calorem prompte acescit, & prorsus cruda est, & tenax, multorum membrorum caussa. Hujus efficientes extrinsecæ caussæ sunt crapula, ciborum varietas, & præsertim crudorum ocium, seu intermissio exercitationis, &c. Intrinseca caussa, frigiditas hepatis: sæpe etjam errata primæ coctionis. Altera est pituita salsa. hujus efficiens intrinsecum est calor præternaturalis: fit enim ex dulci pituita putrescente, vel interdum ex serosi humoris admixtione, etiam secundum Avicen. amari; licèt aliter videatur Manardo. Caussæ extrinsecæ hæ sunt, quæ calorem augent, & putredinem adducunt: vel serosum humorem adaugent, & acriorem reddunt.

Recita quatuor pituitæ præternaturalis, quæ est extra venas, differentias?

Una est tenuis, quæ plerumque è cerebro per nares, & os destillat. hæc à vaporibus resolutis, & expressis; cerebro oritur, atque destillationum, & fluxionum caussa est. Altera est muco similis: hanc calor ob lentorem, quo prædita est, cogit: ea per os & nares sæpe excernitur. Deinde quæ-

dam valde crassa, & frigida: hæc à Praxagora; ut testatur Galenus, *vitrea* dicta est: quia colorem vitri habet. generatur autem in frigidioribus corporis partibus, & locis: atque in iis gravissimas obstructiones, & tensiones facit: cum vero in calida loca defertur, vehementissimis cruciatibus affligit. hæc, cum plane concrescit, fit ex ea quarta species pituitæ, videlicet *gypsea*, quæ ad extremam duritiem pervenit; & instar gypsi, vel lapidis concreta est: ut in articulis sæpe nodos ex illa generatos videmus.

Doce me de tertio humore, videlicet de bile?

Bilis à Græcis χολὴ dicitur: Arabes, & barbari *choleram* vocant; cum cholera morbi nomen sit. hæc est pars tenuissima, & calidiss. massæ sanguineæ, levis, saporis acris, & amari ex tenuissima parte chyli, calore hepatis progenerata; ut partes affines nutriat, & tenuitate sua transvectionem sanguinis in totum corpus per venas adjuvet. Naturalis bilis caussa efficiens, est calor naturalis hepatis. Materia, est tenuior pars chyli calida & sicca. Finalis, ut nutriat tenues partes, qualis est pulmo: deinde, ut sanguinem provehat.

Estne illa bilis, quæ in fellis vesicula, quam κύστιν χοληδόχον appellant, continetur huic affinis? & itidem naturalis?

Est naturalis: sed non alimentaris: verum excrementitia: non tamen inutilis: natura enim

nim separatam hanc à reliqua massa sanguinea in vesiculam istam, quæ hepati adhæret, reponit: ex qua pars eius bilis elabitur in intestina: & excrementum primæ coctionis, videlicet stercus, non modo colorat, sed pituitam quoque supervacaneam sæpe non sine molestia, quæ in intestinis est, deturbat. ipsa tamen bilis excrementitia in sua vesicula immodice aucta, vel obstructa, morbos atque incommoda, quemadmodum reliqui humores præternaturales, parit. nam omnes humores præternaturales immodice aucti, morborum causæ sunt; προκαταρκτικοὶ quidem ante morbi initiũ, ut Montano placuit; προηγούμεναι in morbi initio, ut in nostra est Methodo. Sed ista superstitiosa distinctio necessaria non est. Hoc tenendum, non tantum humores præternaturales morborum caussas esse; verum etiam naturales immodice auctos: quam auctionem in sanguine, id est, massa tota sanguinis, in qua tamen analogia reliquorum humorum est, Latini Medici *plenitudinem*, Græci πληθώραν vocant: ut exemplo Athletarum in 3. Aphorismo ostendit Hippocrates. in reliquis vero humoribus cacochymiam.

Quot sunt bilis præternaturalis species?

Quatuor: una, quæ colorem vitellorum ovorum refert: propterea quod bilis naturalis calore præternaturali afflata, & resolutione tenuioris eius humiditatis crassior reddita, facta est præternaturalis, instar vitelli ovorum:

unde & *vitellina* vocatur. hanc Avicenna ex admistione pituitæ, & melancholiæ conflari falso existimat: & illam *choleram minoris famæ*: hanc *majoris famæ* nominat. Qui eum secuti sunt medici labyrinthos in doctrina de febribus ex hoc commento construxerunt. altera ex adustione πρασοειδὴς, id est, *porracea* dicitur: quod colorem porri referat, & plerumq; ex alimentis mali succi; ut sunt porrum, allium, cæpæ generatur. Ea, cum à calore intenso magis aduritur, fit ἰώδης: quò enim magis uritur, eò majorem nigredinem contrahit, propterea calore maxime aucto isatidis: illa cæruleum colorem nigricantem contrahit, & *cærulea* dicitur: ac ad extremum in atram bilem, eamque pessimam, quæ cancrorum, carbunculorum, & abominandorum morborum materia est, transit. De his Galen. in lib. De atra bile legendus, & cognoscendus est.

Restat, ut de melancholico succo me doceas.

Recte dicis de succo melancholico: nam hoc nomine quidem bilis atra, cum est humor naturalis, appellanda est, atque sic à medicis μέλας χυμὸς, καὶ μέλαινα χολὴ, seu atra bilis dicitur. Est autem melancholia naturalis humor ex crassiore parte alimenti à naturali calore factus: seu, Est pars fæculenta, vel fæx sanguineæ massæ, aut eius sedimentum: quod Græci ὑπόστασιν vocat. Habet autem caussas tam efficientes extrinsecas, quam intrinsecas, ut reliqui humores natura-

turales, item causas materiales. Finalis vero duplex, sicut & reliquorum humorum: altera essendi absolute; altera bene essendi. Essendi absolute: quia multa membra hoc humore sunt alenda. Bene essendi: quia prolapsa ejus aliqua parte ad ventriculum, seu potius delata fames inde excitatur. Deinde hoc non solum reliqui humores; verum & spiritus firmantur ne sint nimium fugaces: atque inde melancholia, causa sapientiæ censetur. Porro huic humori, qui in venis est, ac reliquæ massæ sanguineæ, per totum corpus mixtus is quidem, quem natura, velut excrementum in lienem derivat, non est absimilis: cum & is sit naturalis. Sed, quando auctus, atque densatus; vasorum meatus obstruit, & putrescit; ut in febre quartana acidam, & acerbam qualitatem contrahit. Acidam quidem: quia frigidior evaporante calido ex humido per ebullitionem: acrem; quia partes terrestres adurunt.

Quot sunt differentiæ atræ bilis?

Tres: primo acida, quæ fit propter ebullitionem in humido exspirante calido: ut dixi. Deinde acris: & ea rursus duplex; vel ab adustione succi melancholici, quem dixi contineri in massa sanguinea: aut reponi in splenem: vel bilis vitellinæ, unde atra bilis admodum pernitiosa oritur. Hæc omnia exulcerat, quæ contingit, & erodit: denique pernitiosos, & lethales morbos parit; ut est in Aphorismo

Hippocratis: *Dysenteria ab atra bile, lethalis est.* Sunt, qui ex pituita, & ex sanguine adusto atram bilem fieri somniant: verum falso. Hoc autem sciendum est, atram bilem plane caussas oppositas succo melancholico, seu præternaturales habere: extrinseca enim omnia modum excedunt: intrinseca, seu calor ipse est vehementior naturali: ideoque causa putredinis. Materiale extrinsecum, videlicet cibi sunt validiores, & ficciores, vel putrescibiles, vel extranea qualitate mala infecti. Deinde materiale intrinsecum, videlicet sanguis est crassior. Sequuntur hunc humorem periculosissimi morbi; ut lepra: cum & propter malitiam hujus humoris hac nostra ætate vir excellens in arte medica pestilentis febris, & carbunculorum quæ iis adsunt, caussam putredinem hujus humoris esse asserit. Sed de hoc legendus est & Galenus ipse, & methodus Montani: quam nostræ *Therapeuticæ methodo* festinata opera libello facto conjunximus. De secundis autem humoribus deinceps agemus; cum quæstio de humido innato tractanda erit.

Quæ est temperatura humorum ratio?

Eadem, quæ membrorum: nam sanguis temperatus statuetur ab hoc: ex una parte discedit bilis, quæ est calida, & sicca: ab altera parte melancholicus succus, qui frigidus, & siccus est: tertia pituita, quæ frigida, & humida censetur. Quod autem sanguis interdum à medicæ artis aucto-

auctoribus, calidus, & humidus appellatur, id fit collatione ad alium humorem. ſicut etiam calidiſſimus à Galeno dicitur per accidens; quia caleſit à corde. Porro hîc obſervandum humores tranſmutari, & converti alium in alium; præſertim cum ſint in continuo motu, & qualitatibus inter ſe conveniant. ut ſanguis cum flava bile in caliditate. ideoque, ut Galeno placet, & ſanguinis calidioribus, & tenuioribus partibus fit flava bilis: ſed ex omnibus humoribus reciproce alios fieri non cenſent medici; ſiquidem nec pituita ab alio humore gignitur: nec melancholicus ſuccus in bilem flavam tranſit. quæ vero humorum ſint qualitates ſecundæ, vel ſenſibiles: quem uſum in corpore habeant: quas itidem ſedes, facile eſt intuenti medicam doctrinam videre. Cæterum, quia à ſanguine ſpiritus exprimuntur; hic locus poſtulat, ut de ſpiritibus agamus prius, recitatis iis, quæ de calido innato, ſeu ſpiritu inſito, & humido primigenio ſcire iatrinæ diſcenti neceſſarium.

DE SPIRITIBVS, SEV CALIDO innato, & humido primigenio.

OStenſum eſt ex primorum ſimplicium corporum, quæ elementa dicuntur, commixtione conſtitui temperamentorum differentias: & unaquamque corporis partem proprio temperamen-

ramento præditam. Nunc nobis illud addendum, assidere huic calórem innatum spiritus, & humidum primigenium vitæ præcipuas gubernatrices caussas. Unde autem hæc sint, declarabimus. Calore omne animatum præditum esse sensus ipse testatur, & est certa, atque constans sententia beneficio caloris innati animal vivere: alimentum attrahere, atque conficere: eo nutriri, confirmari, augeri: hujus ope procreari, sensu, affici, & moveri acquanto perfectiora hæc sunt opera, tantò hujus caloris vim, & substantiam in corpore majorem, & præstantiorem esse.

Doce me de calore innato?

Galenus prudenter sæpe monet non esse de nominibus litigandum sed rerum veritatem in arte eo fine quærendam; ut cognitio subserviat sanitatis tuitioni: quæ finis artis est. Hoc præceptum, utinam diligenter & doctores, & discipuli tenerent; minus profecto ociosarum disputationum haberemus: quibus multi; ut ingenii vim ostendunt, oblectantur: & ex stultis insanas faciunt, dum doctrinã sanitatis tradere debebant. Accidit igitur, quod sapienter dixit quidam, *ut ignorent necessaria, dum non necessaria discunt.* sed Tyrones illud Galeni teneant: *Quæ potius ad curiositatem, quam commoditatem in arte faciunt, cito esse relinquenda.* Nomina, quibus appellatur, varia sunt: modo enim ἔμφυτον, modo σύμφυτον, modo ἔκγονον θερμόν.

vide-

videlicet innatum seu insitum colorem dicunt; aliquando calorem naturalem, aliquãdo ἔμφυτον Hipp. & Galenus appellat: quod primitus generandis adsit. Galenus etiam in semine artificem efficientem statuit: Barbari *complexionalem* & *complantatum* vocant.

Quæ est eius origo.

Etsi Galenus noster, ac plerique Philosophi in prima rerum elementa omnium caussas referant; tamen suis limitibus interdum vix sese continere possunt: id quod in hac quoque disputatione, contigit; dum modo divinum hunc calorem esse, seu à cælestibus caussis in semen propagari, licèt id obscure: interdum prorsus elementarem affirmant. Est autem labor plenus difficultatis, & periculi statuere aliquid certi de iis rebus, de quibus veterum sententiæ non satis explicatæ exstant; nec quicquam fere dici potest, quod in reprehensionem cadere posse non videatur. Verum, ut sit, absurda vitare amantem, veritatis decet.

Quid ergo statuendum censes?

Existimo veterum auctoritates dextre accipiendas, tuendas, atque interpretandas esse. Insitum hunc calorem, qui in semine continetur ex permistione elementorum prodire, minime dubito: verum à caussis cælestibus ita contemperari statuo, ut cælesti calori non igneo in effe-

effectionibus respondeat, & ad eum analogiam habeat.

Estne hæc veterum sententia?

Est certe nam Galenus in libro De tremore,& palpitatione, calorem innatum non aliunde quæsitum, neque genito animali eum ortum; sed insitum, & qui ab ipso statim principio extiterit, affirmat. & Com.5.Aphor.22. ipsam naturam esse, & vim conservandi, generandi, augendi, & nutriendi statuit: ac in summa mediocritate consistere affirmat. 8. De decretis, item De salubri diæta, De caussis pulsuum in primis vero in lib. De tabe, plane eum ab ignea natura alienum, maximeque eorum, quæ ille effinxit, incremento, & conservationi amicum docet. Summus autem Aristoteles calorem istum, quasi vinculum animæ, & corporis ponit: & corpus, atque divinum vocat. Sic enim inquit: πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων. Hic, dum σῶμα dicit; ab anima discernit cum πρὸς τὴν δύναμιν, animæ instrumentũ esse docet: cum vero θειότερον appellat; cælestem vim tribuit: ac deinceps sese explicat, cum inquit; Analogiam eum habere ad stellarum elementum, seu proportione huic respondere: & perspicue affirmat, ὅτι πῦρ, ὅτι ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν. Quod autem ab igne non trahat originem, rationem affert; quia ignis nullum animal generat. Recte igitur existimo, quò ad suam primam originem posse dici elementarem: quò autem ad temperaturam suam, & effectiones, æ-

quans;

lestem. habet enim ad eum analogiam; quia mitis est, vitæ amicissimus, non adurens, non colliquans; sed suaviter conservans; atque, ut Aristoteles dixit, elemento stellarum proportione respondens: τοῖς ἄστροις vero στοιχεῖα summo Aristoteli dici eas vires, quas generationi, & conservationi rerum cælestes causæ adhibent, doctissimus & cognitione philosophiæ, atque artis medicæ excellens Fernelius arbitratur.

Quid est calor ἔμφυτος?

Galenus substantiam aëream cum spiritu calidum innatum, quinto De simplicibus medic. facultatibus vocat. Est autem vis in semine, atque sanguine materno virtute cælesti contemperata, atque expressa, insidens humido aëreo, & solidis partibus corporis communicata: omnis caloris, atque actionum naturalium fons, & origo: atque vegetabilis animæ instrumentum proximum.

Declara, atque confirma hanc definitionem?

Necesse hoc est, ne nova in medium afferre videar; calidum dupliciter consideramus: vel ut qualitatem per se; vel ut in subjecto: cumq; medici de calido innato loquuntur, de corpore calido: seu, ut Galenus ait, de substantia illis est sermo. Ac philosophi, & Galenus proprias qualitates à substantiis non posse separari adversus Lycum disputans, affirmat: & iis, qui crescunt, plurimum substantiæ innati caloris inesse dicit. Adest autem duplici modo in corpore, vel potentia insidens videlicet spiritui naturali, & humi-

humido radicali conjunctus, atque ex semine in omnia membra propagatus ac sic quidem rectè innatus, seu insitus calor dicitur: vel in corde alium calorem inchoat, qui actu universim corpus calefacit, & ex eo tanquam è fonte in singula membra per arterias influens cum calore insito coalescit, atque rursum unus fit, & alia ἐνέργεια efficitur. Hic autem calor influens, etiamsi in corde vi innati caloris succendatur, tamen non est è semine, atque effectionibus ab innato discernitur, & *influens* vulgo seu *vitalis* dicitur. uterque verò rectè etiam naturalis, cum videlicet à præternaturali, seu igneo, qui corrumpit, & colliquat, discernendus est, dicitur. Inde fit, ut, etjamsi præcipuè in corde vigeat; tamen pinguedinem, quæ in eius substantia sæpe reperitur, non dissolvat. propter has autem moderatissimas, & divinas effectiones, & quod, ut Aristoteles ait, analogiam ad cælestem calorem habet, à nobis *cælestis* dicitur, & vi siderum contemperari; atque firmari existimatur. Scio hæc variè posse disputari, atque de cælestibus (ut Aristoteles ait) paucas non habere πίστεις: verum, cum in hac parte nobiscum faciat Aristotelis auctoritas; fortasse minus odiose Peripatetici pugnabunt, & illud quoque considerabunt, quod philosophus dixit, *A sole & homine hominem generari.* Porro in generatione primas hic calor obtinet: unde, ut dixi, Hipocr. & Galen. ἐμφύτον dicitur. Cumque in effœtis corporibus extinctioni proximus est, frigere, vulgò etiam dicuntur.

Gene-

Generato autem animante, vita eius innati caloris in corpore cum humido ſuo cognato permanſio eſt. hinc animal nutritur; incrementum accipit, & in ſuo vigore conſervatur. Is enim formæ ſimilitudinem in animantibus aliquam, ut Plato docet, gerit, & omnium naturalium operationum effector eſt, ut Gal. 1. Aphoriſm. 37. oſtendit. denique omnia membra in ſuo vigore conſervat: ac , ut philoſophi loquuntur, diſponit ad ſuſcipiendum calorem influentem à corde: qui ἐνέργειαν vitæ ſingulis partibus corporis communicat. ideoque ab eius præſtantia, naturalium facultatum, atque actionum robur, atque firmitas dependet. Ut autem minimo etiam lumine corpus illuſtratum, illuminatum appellamus; ita qualiſcumque ſit calor in hoc corpore, vitam ei præſtat, & conſervat.

Dic de ſubjecto eius?

Plato, atque Galenus ſtatuunt ſubjectum eius aëreum; ſed Plato cum igne participare ait: Galenus vero cum aqua; quia ortum habet ex ſemine, quod humidum eſſe ſenſus judicio conſtat. ac Hippocr. præclara ſententia: *Qui creſcunt, plurimum calidi innati habent*, pro Galeno facit: & experientia declarat, in pueris calorem ſuavem, gratum, humidumque eſſe; in adultis vero, & jam ætate ſiccatis ad igneam vim accedere. Porro ſubſtantiam illam aeream, cui firmiſſime inhæret, ſpiritum dicimus: eique ita inſitum eſſe ſentimus innatum calorem, ut nullo

modo divelli possit. proinde Hipp. & Galenus, dum de calido nativo agunt, modo spiritum, modo calorem insitum appellant: & 14. atque 15. Aphoris. primæ partis, calorem, atque spiritum ἔμφυτον θερμὸν Hipp. nominat. Hæc quidem non observata, sæpe dubitationes in lectione adferunt, & quosdam ita movet, ut prorsus spiritum naturalem non admittant.

Estne ex veterum doctrina statuendus spiritus naturalis?

Maxime; nam Galenus in quinto De simplicium medic. facultatibus perspicue de eo loquitur: & exponens Aphor. 15. primæ sectionis, membra solida hoc spiritu constare ait. Octavo etiam lib. De Hippoc. & Platonis decretis, minime obscure eum inesse corporibus asserit, imo de nulla re magis, quam de hoc spiritu contra Platonem pugnat; cum revera à calore innato non discernatur; sed una eorum sit substantia, atque sola ratione distinguatur. Cum enim concoquit, attrahit, retinet assimilat, &c. Recte calorem nativum, seu ἔμφυτον θερμὸν appellamus: cum palpitat, movet; spiritum naturalem vocamus, ut Galenus 8. De Hipp. & Platonis decretis, & in libro De tremore, & palpitatione asserit, ac Actuarius in libello περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ φυσικοῦ πνεύματος, crudite & philosophice de eo disputat: & fontem, & originem spiritus in corporibus, atque viventibus statuit: ac quæ incommoda eo obruto: debilitato, vel exhausto sequantur, ostendit.

Quid

Quid est ille spiritus?

Est substantia aërea calida, & humida à vi cælesti contemperata: in semine, & sanguine materno, & non solum iis membris, quæ auctioni serviunt; verum omnibus partibus corporis humani insita, calorique innato ita unita, ut ab ea magis cogitatione, quàm reipsa discerni possit.

Vnde desumpta est hæc definitio?

Ex auctoritatibus Hipp. Aristotelis, Galeni, & Actuarii: quas paulo ante me sequi ostendi. Cum autem cælestem dico; non ad originem, aut materiam eius: verum efficientem caussam respicio, atque similitudinem, seu analogiam, ut effectiones testantur, ad calorem, qui ab astris est, habere statuo. Illi autem analogiæ, quam de sententia Hipp. & Arist. ponimus, non potest alia caussa, quam cælestis assignari; etiamsi plane ea demonstrari nequeat. Sed hæc mittamus. Illud autem studiosi teneant, quemadmodum omnis spiritus substantia tenuis, & lucida est & media inter ea, quæ dissolvi, & non dissolvi possunt: ita & hunc spiritum aëreum esse, ac à cælesti vi non minus illustratum, quam hunc circumfusum aërem, quem lucem, & claritatem à corporibus cælestibus accipere non est dubium. etsi autem spiritus, quem vitalem dicimus, eo sit lucidior, & tenuitate, ac agilitate majori præditus, magisque spiret; tamen neque huic, qui

unà cum calore innato omnium actionum naturalium primun est instrumentum, appellatio spiritus deneganda est.

Estne hujus spiritus temperatura ignea?

Nequaquam; sed aërea, calida & humida, ad cælestem calorem, qui illius opifex est, analogiam habens. ideoque, etsi eum Aristoteles flammæ, quæ humido unctuoso pabulatur, assimilat; tamen Galenus in lib. De marcore acriter non esse igneum asserit: nec Aristoteles; etiamsi hanc ponat similitudinem; igneum esse videtur sensisse, ut paulo ante ostendi.

Nonne Galenus, atque Aristoteles affirmant humidum radicale subjectum esse calidi innati?

Certe affirmant: cum autem Galenus accidentia suam quoque essentiam habere statuat; non incommode spiritum essentiam calidi innati dicere possumus: subjectum autem eius humidum radicale vocamus.

Doce me de humido radicali?

Primo, ut monui, nominum diversitate Tyrones non oportet moveri. Latini *innatum*, *primigenium*, *radicale*, & *seminale* vocant: Galenus ὑγρὸν κατὰ φύσιν, & τὴν σύμφυτον ὕλην. Recentiores de eo nunc varie disputāt, ac discrimē ponūt inter humidū radicale, & cōtinuans: humidum enim

nim continuans vocant substantiam aqueam, qua utitur vis formatrix ad conjungendas terrenas partes ne diffluant, ut solidorum omnium fiat continuatio. Humidum vero radicale dicunt, substantiam pinguem à prima origine omnibus membris insitam; ut sit subjectum caloris innati: eumque foveat, conservet, & actionibus eius subserviat. sed verior eorum videtur sententia, qui humidum servans partis continuitatem partim constare ex humiditate naturali, partim ex elementari affluente, & excocta affirmant.

Estne in corpore humano humor oleo similis?

Certe quicquid vivit calore præditum est, & olei similem humorem habet. Ac conjunctionis istius caloris, & humidi pinguis permansio, quæ est quasi vinculum animæ cum corpore, secundum philosophos, & medicos, Vita censetur. Sparsus autem est humor ille per partium solidarum substantiam. ita tamen ut visum effugiat. estque, ut dixi, caloris, atque spiritus innati subjecta materia. in hoc itaque humido calor ab ipso ortu ita inhæret, ut nullo modo vivo animante divelli possit: tantaque est societas, ut unum alterius ope destitutum nihil posit efficere. Verum tamen humidum hoc ubi vel suffocatur calor, vel dissipatur, ut in animi deliquio, manet separato calore. unde videre est quantumvis arcte illa tria sint conjuncta, tamen separari pos-

ſe: ſed non abſque animantis interitu. Proinde in horum quaſi connexu, videlicet, ſpiritus, caloris, & primigenii humidi, id quod naturam appellamus, continetur: nam, ut dixi, natura nihil aliud eſt, quàm puriſſima ſubſtantia è ſemine deducta: quæ interventu ſpiritus, & caloris exiſtit in materia: opifex, & conſervatrix noſtri, denique omnes partes ad operationes, & effectiones ſuas incitans, atque tamquam præcipua cauſa adjuvans. unde Ariſtoteles inquit: *Natura eſt vis prima, & cauſa noſtri opifex, & conſervatrix.* Sed medici naturam appellant temperamentum, quod eſt à primo ortu. Calidum autem innatum ſæpe dicunt ipſum humidum primigenium ſpiritu, & calore undique perfuſum: nam Philoſophi ſtatuunt elementorum haud participem eſſe: ſed Medicis nulla eſt ſubſtantia, quæ non ex elementis conſtat.

Si humidum primigenium, ſeu radicale non apparet, quid igitur ſunt humores, quos ſpectamus in ſolidis partibus?

Primum eſt humor elementaris, communis omnibus rebus concretis: aqueus ille quidem, minime inflammabilis. hic cum exiſtit copioſius in lignis; flammam non admittit. Deinde alimentarius humor nec ille inflammabilis, ſed ab elementis expreſſus, coctione quidem tranſmutatus: nondum tamen in corporis ſubſtantiam verſus. Hinc quatuor humores ſecundarios medici quidam doctiſſimi de ſententia Avicennæ ſtatu-

unt,

ont , ad quam tamen Galeni rationas haud videntur congruere. Primum humorem illum, qui ceu concretus liquor fibris adhæreſcit, & ad ſimilarium partium ſubſtantiam carnoſam pertinet. Hunc videre eſt in carnibus, quæ igne torrentur, liquari: hic nonnullis carniformis, & barbaris *cambium* dicitur. Secundus ab hoc, qui ceu proximum partis alimentum illi annectitur, & agglutinatur, à Barbaris *Gluten* appellatur: quidam *continuantem* appellari cenſent, quòd univerſam corporaturam continuat: ſed is, ut diximus, partim nativo, partim alimentari humido conſtat. Tertiu[illegible] qui roris vice aſpergitur, & adhæreſcit membris; poſteaquam è venis exilibus effluxit. hunc recentiores *rorem* vocant. Quartus is eſt, qui in arteriis, & venis exilibus, quas capillares vocant, continetur. hic etſi nomine caret; tamen recte *alimentarius* dicitur. eſt enim is, quem ſupra alimentarium vocavimus; quod vere eo partes omnes nutriuntur. Conſtat autem ex diverſis partibus, & in ſingulis fere diverſus ineſt: ſicut in chylo, lacte, &c. ideo ſecundum earum naturam diverſis membris inſervit. cum autem prolabitur ex venis; appellatur *ros*; cum agglutinatur, *Gluten*, ut diximus: cum jam in ſubſtantiam partium carnoſam tranſit, *cambium*. Sed revera, cum omnis coctio fiat propter nutritionem, atque in ea tranſmutetur res, quæ concoquitur in naturam concoquentis: tot erunt humores, quot coctiones. Sunt autem coctiones, etiamſi quidam plures, quidam pauciores tradant

in triplici differentia. Etsi autem sanguis, antequam membris apponitur, transit per diversos gradus; tamen non necesse est propterea statuere plures gradus humiditatis. De his autem non est litigandum, ac illud potius de humido radicali observandum est, quantumvis sit stabile; tamen ætatis accessione imminui, nec illius jacturam ullo modo recuperari posse. Inde quidem est ea, quam in extremo senio esse diximus, immedicabilis siccitas. sic & humores, (de quibus nunc agimus, nam de iis, quæ in venis continentur, paulo ante nostram exposuimus sententiam) cum absumuntur in morbis; siccitatis gradus constituunt. Primum, cum is humor, qui in venis est exilibus, diminuitur: hæc siccitas curatu facillima est. Secundum, cum is, qui instar roris membris aspergitur, absumitur. Tertium, cum id, quod jam ex humore concretum est, liquatur, & caro ipsa defluit. Quartum, cum solida similarium partium substantia siccior redditur, atque hic hecticorum, & tabidorum extremus gradus est: & itidem, ut senectutis extrema siccitas insatiabilis, quemadmodum ostendit Galenus septimo Methodi, ubi hos quatuor siccitatis gradus constituit.

Mutaturne ætatis ratione calidum innatum?

Maxime etsi enim, ut dixi, summa est calidi, & humidi primigenii conjunctio, & quidem quamdiu integer est calor innatus, temperatus is

esse

esse censetur: tamen recte Hippocrates, & medici statuunt hominem primo die ineuntis ætatis esse calidissimum, & humidissimum. Hinc quidem, ut videmus prompte corpus augetur, ac crescit: tunc enim humidum extenditur, membra caloris vi siccescunt, ac firmantur. Cum vero jam ossa, membranæ, & nervi amplius diduci nequeunt; incrementum consistit: diciturque tum corpus validissimum, & robustissimum. itaque ætas consistens iam primigenium humidum magis terrenis, & firmis partibus inhærens, minusque conflagrationi obnoxium habet, ac per easdem calor quasi acrior diffusus est. Cum vero à media ætate recedit corporis constitutio; tandem humidum quasi siccitate obtunditur: & calor pabulo destitutus, diminuitur: sed nondum plane evanescit, donec in extrema ætate humidum ita deficiat, ut prorsus conservando calori non sit satis. Recte igitur ad hunc modum hominis vita lychno ardenti comparatur.

Mutaturne calidum innatum per anni tempora, & regiones?

Ita censet Hippocrates: sed hoc non fit per se, verum ex accidente. nam in hieme, cum corporis meatus frigore stipantur, calor intus cohercetur: sicque in spiritibus, & sanguine intus agens fit intensior. at in æstate apertis meatibus corporis, calor ipse in profundo corporis non manet, & ab externo calore affectus languet. Interdum etiam acrior, accedente calore præterna-

turali, ut in febribus efficitur; & concoctioni minus commodus. Ver autem & autumnus si moderationem quandam servant, & justam constitutionem nanciscuntur; calori minime obsunt. Sed cum calor, de quo Hippocrates loquitur, cum inquit: *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati.* fit à semine: itidem ut humidum primigenium, vel radicale non possunt augeri, & imminuta omnino restitui. Foveri autem, atque refocillari queunt purissimo, & convenientissimo alimento, & aëre, quæ respectu illorum tamen impura sunt; calor quidem à moderato calore, qui à sanguine, & spiritibus est humidum optimo alimento probe concocto. atque hinc, & incrementi, & alitionis totius corporis ratio dependet. sed, ut dixi, resolutum humidum radicale, atque calidum innatum plane non restituuntur: essent enim, si hoc fieret, corpora immortalia, quidam ex Galeni sententia ad Trasybulum de similitudine duorum vasorum sumpta, humido radicali è nutrimento tantum accedere, quantum discedit, arbitrantur. sed tamen non prorsus simile humido radicali, ac propter istam dissimilitudinem membrorum facultatem deleri: ut est apud Platonem, & morte consequi.

Agitne calor innatus in humidum radicale?

Agit quidem: sed, non ut dissolvat: sic enim inquit Galenus in libello De tabe: Nullum esse tempus, in quo calor ille non per universam

mate-

materiam diffundatur : & non modo eas vires continent, quibus animal format; verum etiam alimentum trahere, materiam dispensare, apponere, unire, assimilare, ita tamen, ut circa sibi congenitam materiam omnia contra perficat, quam flamma. Ostendit autem eo in loco quid ad conservandum humidum efficiat, videlicet, quod claudat aliquas partes : in aliquibus vero canales inducat, quos *poros* vocant; partim ut nutrimentum per eas solidæ partes trahant: partim propter refrigerium, & respirationem: partim etiam, ut excrementa excernantur per alios quidem meatus, quos & ipse calor ampliores facit, crassiora; per alios tenuiora. Porro, cur non agat in humidum primigenium, atque illud primo consumat; rationem reddunt philosophi; quia nulla forma per se in motu alterationis in subjectum proprium agere possit. agit igitur in alimentitium primo quidem, ut fiat alitio, deinde accretio. Quoties autem alimentarius humor corpori detrahitur, & in suum subjectum necessario ei agendum est, vita minime diu durat. Est autem ea Aristotelis sententia: quemadmodum oleum paulatim flamma absumitur, ita nativum humidum à calore insito resolvi, & vitam, veluti deficiente oleo in lychno extingui : magis tamen in adventitium, seu alimentarem humorem agere, nec totum primigenium humidum dissolvi vita permanente. Porro cum continue aliquid dissolvatur, & vitæ minus idoneum reddatur; calorem quoque

quefieri debiliorē: & quando omnino defluxit; vitam quoque amplius non permanere. Ut autem supra monuimus, & Galeni est sententia, humidum innatum, adventitio irrigari, atque augeri eo modo censemus, quem Aristoteles primo De ortu ostendit: cum accessionem illam humiditatis ex alimentis permixtioni aquæ in vino comparat: Sicut enim vinum vires suas affusa aqua non amittit statim etiamsi imbecillius, & impurius fiat: sic humidum primigenium accessione humoris alimentitii, etiamsi augeatur; tamen impurius, minusque firmum, & vitæ commodum redditur. Cum vero secundum philosophos forma definitam sibi præscribat materiam; hic calor itidem, ut lux, proportionatam sibi materiam requirit: in qua convenientes vitæ actiones suscipere possit. ac exhauriri, vel obrui illum intemperatiori vita manifestius est, quam, ut de eo multum sit verborum in præsentia faciendum. Hæc autem tyrones artis medicæ in tanta de calore innato disputationum varietate, quæ verissima esse, & veterum auctoritates, & usus artis monstrant, monuisse satis sit.

Estne alius ab hoc diversus calor?

Est certe: & is à temperamento hepatis, & cordis provenit atque per arterias, & venas in universum corpus defertur, is *influens*, & *infusus*, seu *actualis calor* dicitur. hic, cum à spiritibus vita-

vitalibus ſeparari non queat; nihil refert, ſi ſpiritum dicas. Eſſe autem diſtinguendum, inter calorem innatum, ſeu complexionalem qui tuetur, & conſervat omnes corporis partes, atque in hepate, & corde infuſi quaſi fons eſt: & inter infuſum, qui actu calefacit, & à corde in reliquum corpus influit, manifeſto indicio ſunt cancrenæ; videmus enim partes corrumpi, & putreſcere propter calorem innatum oppreſſum, nec poſſe ab influente conſervari.

Eſtne calor influens tantum à corde?

Eſt præcipue: ſed dimanat etiam aliquid ab hepate, quemadmodum, & à cerebro ſpiritus. verum non feruntur, itidem ut is qui à corde prodit, in omnes corporis partes.

Nonne hos ſpiritus vocas, & conſtituis tres, videlicet, naturalem in hepate; vitalem, qui generatur in corde; & animalem, qui in cerebro?

Recte ſane: verum de naturali quidam dubitant, atque in hoc Galenum velle ſequi videntur. Verum minime dubium eſt, naturalem ſpiritum omnium eſſe primum, ac recte ſpiritum dici, ut Actuarius probat.

Declara hoc.

Hippocrates in continentibus, id eſt, ſolidis partibus, qui τὰ ἴσχοντα appellat, affirmat eſſe τὰ ἰσχόμενα, id eſt, humores, & ἐνορμῶντα σώματα,

id eſt,

id est, ſpiritus. Cum itaque ſanguis generetur in hepate; aderit etiam ſpiritus impulſor, qui primum in cor, deinde in univerſum corpus ſanguinem provehat.

Quæ eſt ſpiritus naturalis generatio?

Aërea portio alimenti coctione, ſeu temperati caloris energia tranſiens in puram, & tenuem ſanguinis ſubſtantiam: quæ vaporis ſpeciem obtinet, ea à jecoris temperatura, & ingenita vi eam accipit formam, ut dicatur, & fit ſpiritus naturalis. is ad omnes partes, quæ nutriuntur, cum ſanguine diffunditur, & quidem reliquorum ſpirituum materia eſt. denique inſitum ſpiritum, à quo quaſi fomite incenditur, quem paulo ante naturalem quoque appellavimus, fovet, & quaſi nutrit.

Quomodo is eſt materia ſpiritus vitalis?

Primum effertur unà cum ſanguine per venam cavam in dextrum ſinum cordis, in quo elaboratur, atq; attenuatur: tandē in ſiniſtrum per anguſtiſſimos meatus tranſit, & virtute cordis in vitalem ſpiritum convertitur, mitigaturque, & conſervatur aëre per pulmones tracto. Sunt autem quidam in ea ſententia ſpiritus tantum generari in corde: & in hepate, ac cerebro aliam formam acquirere. ſed nos ſpiritum vitalem ab naturali generari arbitramur, & ab hoc animalem produci, atque in cerebro perfici.

Quo-

Quomodo ex vitali fit ſpiritus animalis?

Portio vitalis ſpiritus per arterias ſurſum fertur ad cerebrum: & primum in implexu, ſeu contextu quodam vere mirabili dicto; (cum de eo mirificæ ſint lites, aliis rejicientibus huic, & pro eo contextum, quem *Coroidin* Anatomici vocant, admittentibus: aliis vero ponentibus, & affirmantibus ex quatuor conſtitui arteriis: & in illorum plexu, & anfractibus contemperari) hæret. mox in cerebri ventriculis cæleſtem quandam vim accipit: denique per nervos ad omnes partes corporis, quæ ſenſu, & motu indigent, fertur. Mitigatur autem, atque fovetur, aëre tracto, & elaborato per nares. Porro animalis dicitur, non quod ſit anima, ſed quod proximum animæ habitantis in cerebro inſtrumentum. Ideoque medicum, qui conſervando corpori ſtudet, præcipuam curam ſpirituum, ut & qualitate, & quantitate, ſecundum naturam ſeſe habeant, ſuſtinere oportet. Nunc autem, ut hæc ipſa rectius intelligantur; ad facultatum, ſeu potentiarum explicationem nos conferamus.

DE FACVLTATIBVS, SEV POTENTIIS *animæ, quæ* δυνάμεις *vocantur?*

NEſcire nos animæ eſſentiam cum nullo ſenſus; rationis vero perexiguo adjumento

in eius cognitionem pervenire liceat, manifestum est. Id autem, quod scimus, ab actionibus eius petimus. hæ vero à substantia procedunt impellente facultates, quæ proximæ sunt actionum causæ. Etsi autem nec facultatum substantiam satis assequimur, ac Galenus non necessariam medico cognitionem substãtiæ facultatum esse dicit, tamen statuimus facultatem esse vim, quæ effectiones, seu operationes profert, sive ea sit à substantia animæ; ut volunt philosophi; qui potestatem animæ ab ipsa substantia non discernunt: quatenus enim est forma; actus, & ἐντελέχεια corporis *anima* dicitur: quatenus principium operandi, *facultas* appellatur: sive à temperamento, ut Galeno & medicis placet: qui nihil aliud facultatem esse dicunt, quam causam effectricem in partibus temperamenti sitam; ut Gal. I. De simplic. medic. facultatibus, capite primo definit: hancque Medico conservandam docet: nihilque referre putat, sive δραστικὴν, sive ποιητικὴν dicas, lib. De plen. Sed omnino hoc tenendum est animam esse principem caussam actionum: facultates esse adjuvantes caussas proximas, & has cessare posse durante anima, & vita: siquidem revera vivere nihil aliud est, quam animæ vires in corpore obtinere.

Quot sunt facultates, seu potentiæ corpus nostrum dispensantes?

Tres: naturalis, vitalis, & animalis; tot. n. diximus esse spiritus. naturalis in hepate per venas,

cum

cum ſpiritu naturali, & ſanguine in totum corpus ſparſa, infima eſt: vitalis in corde per arterias in univerſum corpus diſtributa, media; animalis in cerebro per nervos in omnes partes ſenſu, & motu voluntario præditas delata, ſumma. Diſtant igitur effectione, dignitate, ſitu atque organis, ſeu inſtrumentis.

Nonne tot quotve animæ partes ponuntur?

Galenus in 92. Methodo, ex ſententia Platonis 4. de Republica, ponit λογιστικὴν in cerebro: θυμοειδῆ in corde: ἐπιθυμητικὴν in hepate: & nominum inopia facit; ut ſæpe partes animæ ſpecies, ſeu genera animæ, & facultates commiſceantur, ſed omnino inter hæc diſcrimen ponendum eſt.

Oſtende diſcrimen?

Vnam eſſe animam in vivente corpore certum eſt: ejuſque propriam actionem vitam eſſe, ſed ſpecie hanc ipſam in diverſis viventibus diverſam. In homine enim eſt intelligens anima præbens vitam corpori, & ab eo ſeparabilis, & mortalis: in qua ſentiens, & vegetativa. tamquam trigonus in tetragono continetur. In brutis ſentiens, quæ quandam cognationem cum ſenſibus interioribus, videlicet imaginatione habet: & appetitu, ac motu prædita eſt. In ſtirpibus autem, & eò, quod φυτὸν, id eſt, terra editum vocant; tantum naturalis: quâ vivit, & nutrimentum trahit; augetur, & creſcit. Dicimus autem has ſpecie diſtinctas eſſe: ſentiens enim, quæ in homine eſt; nequaquam ſpecie ſimilis eſt huic, quæ in brutis: aut naturalis ea, quæ in plantis. Sed ſentiens, atque naturalis in homine ſunt, veluti ad-

ministræ animæ intelligentis: minus tamen ἐνεργείας; quia cum temperamentis, & spiritibus plusculum societatis, atque affinitatis habent. Intelligens vero illa divina est. Verum tamen, cum non omnino segregentur ab anima, nisi discedente anima rationali è corpore; censetur à Medicis temperamentum esse in animæ sedibus.

Quid est naturalis facultas, seu δύναμις vel potentia?

Naturalis potentia est, quæ generando, nutriendo, augendo corpori præest: sunt igitur hujus rursus tres facultates, quas Aristoteles ad potentiam vegetativam refert: videlicet generatrix, nutrix, & auctrix.

Quid est generatrix, seu procreatrix?

Est vis, quæ substantiam commutat, seu alterat, & novam conformat: ut quod semen commutatur, & ex eo fit os, nervus: quod ex ovo fit pullus.

Habetne facultates subministrantes?

Habet: nempe alteratricem, & formatricem.

Quid est alteratrix?

Est, quæ semen, & sanguinem maternum, s. subjectam materiam generationis hominis non solum in primis, & elementaribus qualitatibus, videlicet, calido, frigido, humido, sicco: verumetiam in secundis tactoriis, gustoriis, olfactoriis, & visoriis mutat, & alterat, ut ex ea os, nervus & reliquarum partium quælibet fiat. Totque sunt in animali hujus facultatis species, quot similares partes deprehen-

dun-

duntur: singulæ enim partes suam elementorum in semine analogiam sequuntur.

Quid est formatrix?

Est vis in semine à membris derivata, quæ efficit figuram, situm, compositionem, constitutionemque in toto, & qualibet parte, ut membrum, vel totum istam formam accipiat, & actioni, & propriis viribus sit idoneum: ut nihil plane sit superfluum, nihil ociosum, & non ad certum usum factum. Subservit autem huic nutrix, & auctrix; quia absque harum facultatum opera conceptum in utero non potest conservari.

Quid est auctrix?

Cum, quod à genetrice, seu formatrice facultate perfectum est, nondum in debita magnitudine sit constitutum; à natura vis increscendi concessa est, quæ ad debitam magnitudinem producit. Est igitur auctrix vis vegetalis animæ, quæ corpus quoquo versum propria forma, & continuitate servata extendit, ut simul in longitudinem, latitudinem, & altitudinem debito modo augeatur, donec ad præfinitum terminum perveniens præstantiores exerceat operationes: viventibus enim ab obeundas suas functiones magnitudo debita in primis necessaria est. Cur autem non hæc formatrix præstet, facit loci, in quo fit generatio, angustia, materiæ paucitas: & ut incrementi, atque decrementi in vita sit certa ratio: nihil enim simul natum, & perfectum. huic vero facultati subserviunt, atque auxiliantur alteratrix, & nutrix: nisi enim alimentum mutetur, & in corporis substantiam convertatur; corpus augeri nequit. Ob-

servandum autem hîc est nos de vero incremento, quod auctricis effectus est, loqui: non enim quicquid plenius alitur, & pinguescit, augeri dicitur; siquidem puer febricitans, etiamsi emaceratur; tamen, cum crescat, augetur.

Quid est nutrix?

Perpetuæ dissolutioni, & fluori corpus nostrum tum operante perpetuo calore, tum aliis de caussis est obnoxium, ideo, ut conservari possit, necesse est alimentum assumere, quod in substantiam corporis convertatur: atque non solum illi, quod defluxit, succedat; verum etiam augendo corpori subserviat. Vis autem in corpore, quæ hoc efficit, nutrix, seu altrix Græcis θρεπτικὴ dicitur. Ea vero est, quæ assumptum alimentum, & destructa priori natura, in corporis substantiam convertit, eique assimilat. Porro, ut procreatrix circa eam commutationem materiæ, quæ fit ad novæ substantiæ simpliciter, & per se productionem: auctrix circa solidarum partium extensionem: ita nutrix circa alimenti commutationem, atque assimilationem versatur. Secundum philosophum autem 2. De gen. animalium, eadem est generationis. accretionis, & nutritionis materia: eaque mixta, nec simplex, aliæ autem mutationes à vi vegetatrice, dum generationi, incremento, vel nutritioni adsunt, in ea fiunt.

Quot habet hæc auxiliatrices?

Quatuor; *Attractricem*, quæ ἑλκτικὴ dicitur: estque vis sibi familiare asciscendi ex nutrimento. *Retentricem*, quæ καθεκτικὴ: ea idipsum retinet, donec facta est concoctio. *Concoctricem*, quæ fit alterando,-

do, & aſſimilando, & *Expultricem*, quæ ἐκκριτικὴ dicitur: ea id, quod qualitate, & quantitate moleſtat, expellit, his Auerroes quintam addit, quam ignotam Galeno, atque Avicennæ dicit; videlicet *diſcretivam*, quæ facta jam coctione, convenientia ſingulis membris ſeparat, ſed medici trahenti hanc vim tribuunt: alii vero pariter coctrici, & expultrici.

Declara hoc?

Philoſophi affirmant, & probant ex his nos nutriri. ex quibus ſumus: ac ineſſe omnibus rebus naturalem appetitionem, qua id, quod ſibi ſimile, familiare, atque amicum eſt, alliciunt. Sic temperaturæ ſiccæ ſicca appetunt: calidæ, & humidæ, ut pueri dulcia omnia: frigidæ, & humidæ, piſces, & quidem in ſymbolum habentibus facilior eſt tranſitus; licèt enim primo occurſu alimentum aliquo modo ſit diſſimile; non tamen prorſus diſſimile exiſtimandum eſt: quanto vero ſimilius ei, quod nutritur, tanto convenientius alimentum eſt. Trahunt autem membra propterea, ut ſibi adjungant: & ejus ſuavitate eò uſque perfruantur, donec ſibi tandem aſſimiletur, donec vero id fiat, mora quadam, ac retentione opus eſt. In hac calor congenitus mitigat, mutat, & concoquit: & deinde id, quod ſupervacaneum eſt, expellit.

Quomodo ſit attractio?

Duobus modis: vel vi inſita, ac propria: vel villorum ope. Sic ut inſita hepar trahit ad ſe chylum ex ventriculo, & inteſtinis per venas meſaraicas: licet ſubſerviant villi, nec accipit chylum ex ventriculo expreſſione, ut voluit Eraſiſtratus, ita neque aquoſus hu-

humor, ut idem censet, in renes defluit: sed vi attractrice insita renibus trahitur: hac vi medicamenta purgantia, intra corpus sumpta humorem sibi familiarem corpore nostro trahunt excitata, seu, ut medici, loquuntur, ad actum deducta à calori naturali: sic rhabarbarum choleram, & serosos humores, &c. Deinde fit attractio villorum, seu fibrarum ope, videlicet rectarum. Sunt autem villi, seu fibræ Græcis ἶνες dictæ, partes similares tenues, tamquam stamina tenuissima intertextæ vel musculis, in quibus sustinent carnem, & serviunt motui arbitrario: vel tunicis, atque membranis interioribus, in quibus motui naturali accommodatæ sunt, sic cor habet suos villos: item stomachus, intestina, venæ, &c. Est autem triplex villorum, seu fibrarum genus à natura constitutum: rectæ, quæ protenduntur secundum membri longitudinem, & attractioni serviunt: transversæ, quæ in latitudinem organo vel musculo inseruntur, & expulsioni conferunt: obliquæ, quæ oblique, & ad impares angulos in rectas incidunt, & retentioni subserviunt. ut autem in musculis contractio, & dilatatio villorum, quæ fit instinctu voluntatis, motui inserviunt: ita in naturalibus instrumentis recti villi contracti, & breviores facti alimentum attrahunt. Transversi autem omnem capacitatem sua contractione angustiorem reddunt: ideo, quicquid continetur, expellunt. Obliqui; quia nec breviorem, nec angustiorem partem faciunt; constantia, & æquabilitate sua attracta retinent; licèt Galenus 6. De usu partium, retentionem omnibus villis simul cooperantibus fieri affirmet, ubi igitur triplex est hoc villorum genus in aliquo membro, triplicem actionem edunt: sive membrum

con-

constet una simplici tunica; ut uterus: sive duplici; ut ventriculus, ubi vero tantum unum villorum genus est; licèt duæ sint tunicæ, ut in intestinis; tamen transversæ fibræ tantum expulsioni conducunt. Hæc est simplex veterum sententia, quam recitavi tyronibus medicinæ. Nec moveor recentium Anatomicorum dictis, quibus Galenum impugnant, & villorum usum solum istum esse affirmant; ut ad omnem dimensionem membra prædita villis dilatari, atque extendi possint; præsertim cum collatio compositionis, & structuræ partium, atque effectionum & usus, quem habent, aliud nos moneat, atque doceat.

Dic de retentrice?

Retentrix vel sua vi succum familiarem continet, donec absolvatur concoctio: vel excrementum, donec molestet quantitate, vel qualitate acri: vel utraque simul, hæc villis obliquis juvatur, ut perspicue in membris magnam cavitatem habentibus apparet: veluti in ventriculo.

Quid est nutrix, seu coctrix?

Nutrix, seu altrix est potentia, quæ alimentum alterat, & corporis substantiæ assimilat, alteratio autem fit per medias qualitates: ideoque major, quo nutrimentum minorem cognationem cum nutrito habet: minor, quo majorem. Omne enim nutrimentum ei, quod nutritur, primo quidem quasi contrarium, quia inconcoctum: postea mutatum (fit enim

Propter dissolutionem in contrarium mutatio, simile efficitur, sed alimentum revera potentia simile est, ac, quò magis ad similitudinem partis in corpore accedit, eò facilior fit conversio: sic ex carne facilius efficitur sanguis, & caro, quam os. Rursum lenta, & viscosa alimenta facilius os nutriunt. Priusquam autem coctio absolvatur, sunt certi ejus gradus, videlicet, initii, medii, & finis, sic primæ coctionis initium est in ore, atque gula, quod præparationem licet appellare. Medium, seu vera coctio in ventriculo; absolutio in intestinis: secundæ initium in mesaraicis venis. In hepate medium, in cava vena absolutio. Tertiæ reliquæ venæ præparant humorem alimentarium, qui ex venis capillaribus, sive paruis elapsus, membro apponitur. Sed de his, & excrementis coctionum postea dicemus. Absoluta autem coctione in venis, ut dixi, ac nutrimento perfecte cocto, membrisque apposito deinceps agglutinatur, & assimilatur, quemadmodum & apud Gal. μεταβολὴ καὶ ἕνωσις separatim ponitur, est igitur assimilatio functionum naturalium suprema, & nutritionis absolutio.

Quid est expultrix?

Expulsio contraria est attractioni: & fit per eosdem meatus; ut vomitus, & deglutio per gulam, utitur autem opera transversorum villorum, cum ea, quæ perfecte alterari non possunt, vel expellit, vel in alium locum convenientem transmittit. Insurgit vero, ut dixi, stimulata vel quantitate nimia, videlicet pondere; vel qualitate acri excrementi, velutraque simul. Ab hac discernenda est secretio, quam statuit Avicenna, & tuetur Averrois: quæ non est o-

pus propriæ facultatis, sed alias ad expultricem; ut, cum ea, quæ noxia sunt, & naturæ adversantur, venenata vi reiicimus: aliàs ad attractricem refertur; ut, cum serum sanguinis secernitur, vel crassiores humores in lienem, vel bilis in vesiculam suam: hoc fit vi attrahendi renum, lienis, & vesicula fellis, sic, cum bilis ad intestina pellitur, atque expulsionem quoque in iis irritat: item, cum post humorum coctionem in morbis benigni, atque depravati humoris fit secretio, ea expultricis officia sunt: expultrix enim nihil expellit, nisi natura jam à reliquis sejunxerit, aut quantitate nimia, vel qualitate molestet, hæc de facultatibus naturalibus satis.

Nonne Aristoteles Vitalem *quoque, seu eam facultatem, quæ in corde est, ad naturalem refert?*

Facit quidem, & speciosis rationibus; ac venarum quoque originem à corde esse affirmat, quin & nervorum principium ei tribuit, ac πρῶτον αἰσθητικὸν statuit. Sed ejus sententiam medici non sequuntur; verum Platonis potius. qui has potentias sedibus distinguit: & naturalem in hepate: vitalem in corde: animalem in cerebro collocat. Hoc autem ei, qui medica præcepta sequi volet, tenendum, & observandum indicant læsiones: siquidem animalis aliis illæsis afficitur, ut videmus in lethargo, cum motus, & sensus consopitur, manentibus functionib. naturalibus & vitalibus, item in paralysi, cum sæpe motus, sæpe etiam sensus impeditur, illæsa naturali, & vitali facultate, ad hunc modum naturalis læditur, reliquis illæsis; ut videmus in membrorum ἀτροφία Sic in febribus pestilentibus vitalis à pestilenti halitu, hau-

sto veneno aëreo, quod Galenus *seminarium pestis* vocat, gravissime inficitur, aliquandiu aliis facultatibus manentibus integris. Atque ex his manifestum est medico tres facultates non modo cogitatione, verum reipsa discerni, ac in diversis locis, ac sedibus, diversis etiam instrumentis uti; ut animalem in cerebro, nervis: vitalem in corde, arteriis: naturalem in hepate, venis, proinde non est. quod discentes remoretur, aut perturbet varia, & dissimilis facultatum distinctio, alia est enim eorum ratio, qui sequuntur medicos: alia eorum, qui sequuntur philosophos: denique multi medicas, & philosophicas distinctiones miscent.

Quid est vitalis?

Est, quæ ex corde in universum corpus vitalem spiritum, & calorem transfundit, & reliquarum facultatum conservatrix est, syncope enim, & animi deliquia. in quibus vitalis robur intercipitur, atque oppugnatur, satis testantur tantam hujus facultatis necessitatem esse, ut citra illius auxilium reliquæ non modo cessent; sed vita etiam hac prorsus extincta, è corpore discedat: si quidem vita facultatum, atque actionum est conservatio.

Quid est facultas animalis?

Hanc cerebro inesse dicimus; etiamsi non ignoremus Hippocratem in libro De corde, atque in aliis locis sedem mentis, quam γνώμην vocat, cor posuisse. Sed nos Galenum Hippocratis interpretem optimum sequimur, & facultatem animalem in cerebro statuimus: eamque in corpore, non solum sensuum omnium, & motus, verum etiam cognitio-

nis

nis causam esse. Galenus autem tres hujus ponit differentias; nempe sentientem, moventem, & principem.

Estne sensitiva duplex?

Aristoteles, atque ejus interpretes duplicem constituunt sentiendi facultatem; exteriorem scilicet, quæ in rerum externarum cognitionem propriis instrumentis pervenit. Sunt autem quinque sensus exteriores, visus, auditus, odoratus, gustus, tactus. Interiores vero eos esse censet, qui à rebus sensibus exterioribus perceptis imagines formant, easque discernunt, diiudicant, & recondunt, atque conservant. ideoque quatuor sensus interiores constituuntur; nempe sensus communis, imaginatio, ratiocinatio, seu discursus, & memoria. Sed Galenus communem sensum non ponit; verum sub imaginatrice facultate conplectitur. Imo sensus hos interiores non hoc nomine appellat; sed principes facultates esse dicit. Nos autem principem facultatem mentem, seu intellectum statuemus: & in hac parte paulum à Peripateticis discedimus.

Doce me de sensibus externis?

Externi sensus, seu exteriores non eò dicuntur, quod foris promineant: sed quia in subjectam rem externam incumbunt ut quadam prodeunte à cerebro per instrumenta, atque in quibusdam sensibus per media convenientia, quibus objecta percipiunt. Numerus autem facultatum sensuum exteriorum non ex objectorum sensibilium; sed ex organorum, seu instrumentorum differentia, seu

potius

potius quod ad cognitionem rerum tot modis natura sic ordinante perveniamus, sumitur, habetque se instrumentum sensus tamquam materia: facultas ipsa tamquam forma: & sunt distinctæ facultates, eò enim, quò animal videt, non audit: nec quò audit, gustat. Porro, quo pacto fiat sensatio, varie disputatur. Sed simpliciter hoc tenendum est, per quandam συμπάθειαν vel ἀντιπάθειαν affici sensum ab obiecto potius; est enim inter sensum, & ejus obiectum, quod sensu percipitur, quædam similitudo, seu convenientia: inter motus quidem initium similitudo, sed, cum finis attingitur, dissimilitudo, ideoque in sensu fit passio.

Quid est videndi facultas?

Est vis insita oculo, seu potius humori crystallino delata à cerebro per nervos ὀπτικοὺς, qua colores per medium διαφανὲς, seu perspicuum excipiuntur, est autem humor crystallinus aqueo perlucido circumfusus: ipse quoque ex hoc quasi concretus, atque visus instrumentum dicitur.

Quid est audiendi facultas?

Est vis transfusa à cerebro per quinti paris cerebri nervos: quæ tamquam instrumento utitur aëre auribus ingenito, & membrana hunc continente in intima auris capacitate, qua sonus percipitur.

Quid odorandi?

Est facultas, qua à cerebro per processus albicantes nervis non absimiles, qui extra calvariam ad ossa cribri modo perforata, naresque producuntur: odores cum aëre inspiratione excipiuntur.

Quid

Quid est gustandi facultas?

Est vis, qua lingua, & palato, in quibus à tertio pari nervorum propagines sparsæ sunt, adminiculo carnis, qua lingua prædita est, sapores percipimus, & familiaria ab his, quæ naturæ adversantur, discernimus. Est igitur gustus instrumentum terreum; sed humoris particeps.

Quid est tangendi?

Tangendi facultas per totum corpus sparsa, atque diffusa nervorum ope primum quidem simplices qualitates, calidum, frigidum, humidum, siccum: deinde & eas, quas tangibiles vocant; ut mollitiem, duritiem, asperitatem, levitatem, gravitatem, tenuitatem, lentitiam, friabilitatem, densitatem, & raritatem, &c. percipit.

Doce me de sensibus interioribus?

Dixi Galenum appellare partes principes facultatis animalis sensus interiores: nec mentionem facere sensus communis; sed complecti sub ea vi, seu facultate, quam imaginatricem vocant. Est autem sensus communis externorum sensuum fons, & moderator: nam ab eo tamquam rivuli sensus exteriores deducuntur, & is earum functiones observat, atque in hunc imagines rerum haustæ exteriores sensus in cerebrum confluentes primum excipiuntur. hic discernit nigrum ab albo: calidum à frigido: mollia à duris, &c. hic internoscit similia, & discrepantia; estque tamquam centrum, in medio sensuum exteriorum: omnes pariter admittit: omnibus accommodatus. Sed Galenus tres ponit facultates, seu potentias;

tias; videlicet φανταστικὴν, διανοητικὴν, & μνημονευτικὴν.

Quid est imaginatio, seu φανταστική?

Est, quæ imagines ab exterioribus sensibus oblatas apprehendit, & singulorum sensuum obiecta discernit, atq; internoscit. Tribuit autem Galenus omnia imaginatrici facultati, quæ philosophi sensui communi, quem tamquam tabulam rasam statuunt; in qua nihil est descriptum; sed omnium imaginum capax est, & intellectionis principium censetur. unde dicitur, Nihil esse in intellectu, nisi prius sit in sensu. revera nostra cognitio partem habet ab intellectu, partem a sensu.

Quid est ratiocinatio?

Διανοητική, quam ratiocinatricem, vel cogitatricē, barbari *discursum* vocant, seu discretionem, est ea, quæ conceptas iam species, seu imagines a sensibus exterioribus oblatas fingit: de iis cogitat, atq; meditatur: comminiscitur aliquid: componit: dividit, atq; ordine quodam collocat.

Quid est memoratrix?

Μνημονευτική est ea, quæ id, quod a prioribus sensibus exceptum. & quasi elaboratum est, ceu in thesaurum, ut custos recondit, conservat, atq; retinet: & cum usus ejus est; rursus expromit. Est igitur duplex ejus actio; primum recondere; deinde recondita rebus etiam absentibus per asservatæ imaginis repræsentationem cum præteriti temporis recordatione referre ita, ut præsens cognitio præteritæ respondeat, tamquam ejus imago. Requiritur igitur ad memoriam primum, ut rem teneamus: deinde,

de, ut ſit iuſtum temporis ſpatium inter utramq; cognitionem præſentem, & præteritam: tertio, præteritorum, & præſentium ſimilitudo. hanc multum circumſtantiæ adjuuant.

Suntne hi ſenſus diſtincti certis ſedibus?

Galenus non diſcernit certis ſedibus, nec Græci medici: ſed ſtatuunt ſentiendi facultatem ſeu facultates principes in toto cerebro eſſe, nec actiones ex certis locis ciere; ut Arabibus, quorum ſententiam nunc plerique ſequuntur, placet. imaginationem in priore parte ratiocinantem in media memoriam in poſtrema cerebri eſſe. Ac, quod de medicamentorum applicandorum ratione ab iis adfertur, non difficile eſt refutare. Illud aliquam rationem habet, quod dicitur à partibus anterioribus motum incipere, & tendere ad poſteriores. Sed ejuſmodi veſtigia in corporeo inſtrumento reſidere vix videtur veriſimile.

Quare ſomnus dicitur quies ſenſuum?

Quia non ſolum exteriores; verum etiam interiores ſenſus perfruuntur in ſomno quiete: cum enim vigiliæ ſint ſenſus incitationes, atque motus, cerebrum, quod ἀρχὴ τοῦ αἰσθητικοῦ, cum Galeno ſtatuimus; defatigatum motu, quietem requirit. Inde ſomnus, cui materiam ſuaves vapores in cerebrum ſublati præbent, obrepit: & ad recreationem totius corporis, animæ etiam quandam quaſi libertatem animal quiete perfruitur. Ea tamen quies in ſomniis, quæ ſunt ſenſuum interiorum agitationes, cum videlicet variis imaginibus per quietem exercentur ſæpe turbatur. Vnde non recte dictum à quodam colligimus

mus somnium spirituum, & sanguinis esse quietem, nam τὸ ζωτικὸν, καὶ τὸ κινητικὸν in somno non cessant, de his autem alio loco dicendum est.

DIXTI IN CEREBRO ESSE facultatem movendi; quid est illa?

Rectius dices eam esse *à cerebro* vim per nervos in musculos immissam, quam *in cerebro*, sed, priusquam de hac dicam; hoc sciendum est, per imagines illas animo conceptas, & consideratas, excitari vim quandam: eam Græci ὁρμὴν: Latini *appetitionem*. Estque ea sentientis facultatis, seu animæ affectio, qua quicquid vivit, præditum est sed certo discrimine: alia enim est appetitio naturalis, alia animalis, alia rationalis: nam animalem, & rationalem quidam propter brutorum motus discernunt.

Quid est naturalis appetitus?

Est ea vis, quæ unicuilibet membro familiare nutrimentum advehit, atque attrahit. eaque ex hepate in reliquas corporis partes, tamquam ex fonte diffunditur. Hanc Galenus 9. Methodi *vegetativam* vocat: & 1. De caussis symptomatum dicit: *Appetentia est sensus penuriæ*, hanc philosophi plantis tribuunt.

Quid est appetitus animalis?

Appetitus animalis, seu sentiens est, quo ad illud, quod sensu apprehendimus, ducimur. diciturque *animalis*; quia animalibus communis est. Hanc vero

vero vim cerebro tribuunt; etiamsi cum aliis partibus communicet: nam in testes diffundit incendia libidinis; in os ventriculi cupediæ, in cor ambitionis; iracundiæ, &c. Hujus objectum est bonum opinione. De his autem si forte aliorum est alia sententia; cum iis nemo me pugnare existimet.

Quid est rationalis appetitus?

Est is, qui cum ratione desiderat: qui refrenat importunas cupiditates, libidinis, & iracundiæ motus: & boni desiderio capitur: malum autem refugit: estque cum phantasia conjunctus. Hæ distinctiones etsi sunt usitatæ; tamen appetitus, qui incitat ad motum, recte in duas partes distribuitur: quarum altera inservit voluntati; quæ rationis moderamen sequitur: altera cupiditati; quam Aristoteles ἐπιθυμίαν vocat, sensus subsequens. Valde autem illæ inter se dissident. Quæ cum impetu fertur, ὁρμὴ dicitur. Estque voluntas nihil aliud; quam intellectus extensus ad faciendum, & consequendum id, quod cognoscit, hæc in brutis non est; quia voluntas mentem atque rationem tollit: cupiditas sensum, atque corpus. Illa solida bona prosequitur, & consilio mentis, loco motivam incitat: hæc variis bonorum simulachris capitur: ac gestiens, & temeraria voluptates sequitur: & ad ministerium musculos, qui voluntarii motus instrumenta sunt, vocat. Quo pacto vero fiat motus, deinceps dicemus.

Suntne alii nervi deservientes motui, alii tactui, alii sensui?

Est quoddam discrimen ponendum: nervi enim

sensui deseruientes sunt molles ex priori cerebri parte orti. tactui autem destinati ex sexto pari neruorum cerebri in corpus producuntur:suntq; duriores his, qui sensui famulantur. Adde, quod & his μήνιγξι, seu membranæ cerebri adiunctæ sunt: quarum propagatione,atq; extensione, cū nō solum nervi è sexta cōjugatione; verum etiam spinæ dorsi vestiantur, fit,ut tactui subserviant. Motui autem nervi partim a cerebro, partim e spinæ medulla prodeunt. E cerebro quidem molliores; e spina vero duriores.Sed Galeni, &medicorum sententia est,instrumentūm voluntarii motus esse musculos, quibus vim moventem a cerebro, & spinali medulla, quæ substantiæ cerebri cognata est, nervi per vectores spiritus aduehunt. An vero spiritus per neruos transeant, vel vis tantum tāquam per irradiationem; in medio relinquunt medici. Hæc de locomotiva satis,quam nos ab appeditione cieri diximus, hanc tamen ab ea differre.

Restat,ut de ea, quam tu principem appellas, me doceas.

Vtinam possem: hujus enim tanta est præstantia, ut divinæ ejus actiones, videlicet, notitia universalium principiorum tam practicorum, quam theoricorum: discrimen honestorum, turpium: gubernatio miranda reliquarum virium, futurorum providentia immortalitas, cum a corpore dissoluta est, vix umbram etiam monstrent. Sed tamen immortalem hanc, & incorpoream statuimus, ac imaginem divinitatis referre, atq; principem, & reginam omnium facultatum, quæ sunt in corpore, esse arbitramur.

Quid

Quid igitur eſt, vel quo nomine appellatur?

Vocemus ſane *animam rationalem*: & id, quod eſt, ſtatuamus eſſe, ſimplicem, incorpoream, ſeparabilem a corpore, & divinitus huic immiſſam, atq; poſt ſeparationem immortalem. Latini *mentem*, Græci νοῦν vocant. Plato mentem in anima, & animam in corpore ſtatuit. Appellatio autem intellectus, vel intelligentiæ propemodum ejus actioni convenit. quam duplicem faciunt: unam, quæ a ſenſibus certo iudicio ſumit imagines tam univerſalium, quam particularium: ſeu potius ab ipſa cogitatione elaboratis ſingularibus accibit, ex quibus communes imagines facit. Hanc *intellectus patiens* quidã dicunt. aliam vero actionem plane divinam *intellectum agentem* vocant; videlicet, cum diiudicat vera à falſis; æqua ab iniquis; honeſta ab inhoneſtis. Huic inſitæ ſunt tam theoricæ, quam practicæ notitiæ. Hic ratiocinatur, atq; alia ex aliis certo modo colligit, eaq; contemplatur: quæ contemplato *ſapientia* dicitur. Hic recte conſultat de actionibus, cujus actus *prudentia* vocatur. Hic notitias artium excitat, atque ipſas artes certo ordine conſtituit, cum ſit intelligendi principium certo ordine ſine mutatione; non ſecus quam lumen eſt viſibile maximum, & principium videndi citra mutationem rerum viſibilium; ut inquit Ariſtoteles 3. de Anima, Hic deniq; (quod hominis eſt proprium) vere reminiſcitur non individuorum; ſed notitiarum univerſalium. unde & Plato ait: *Nos reminiſci artium, non diſcere eas*. hic vero νοῦν πρακτικὸν, quæ cum intellectu una eſt ſubſtantia, atque βούλησις, ſeu *voluntas* dicitur, cõjunctã habet, eaq; proæreſin, ſeu electionẽ, unde fons omnium virtutũ, atq; vitiorum cooperan-

te recta ratione emanat. Etsi vero ad suas functiones obeundas instrumentis non indiget; tamen toto corpore tamquam proprio domicilio, quod instrumentis variis instructum est, utitur. Ac, quò illa præstantiora sunt: eò & actiones præstantiores eduntur. Corpore autem dissoluto, cum non amplius sensuum ministerio, aut instrumentorũ opera utitur; in æternam beatorum sedem recedit, & propter filium Dei, in cujus meritis acquiescit, & placatum sibi Deum secundum promissiones credit: rursus Spiritu sancto illustrata, ad cælestia fertur, & Deo patri offertur, atque jungitur: & perpetua, salutarique vita, ac beatitudine sempiterna perfruitur.

DE FVNCTIONIBVS, SEV ACTIONIBVS.

Diximus de facultatibus, seu de potentiis: nunc ordinis ratio requirit, ut earum functiones, seu actiones consideremus.

Quid est ἐνέργεια, seu actio, seu functio?

Est motus activus, seu efficiens à facultate procedens, eique commensurata, ita enim Galenus, De facultatibus naturalibus, & Methodo therapeutices definit. Illud vero quod ipsam actionem consequitur, opus, seu ἔργον dicitur, ut à potentia seu facultate nutrice procedit functio, seu actio dicta nutritio: hæc relinquit opus, videlicet chylum, sanguinem, carnem. Cum autem à nobis dictum sit, tres esse

esse potentias, naturalem, vitalem, & animalem; consequitur tot esse functiones, seu actiones.

Doce me de naturali.

Ostendi potentiæ naturalis distinctionem, videlicet in generatricem, nutricem, & auctricem. ideoque de actione generatricis, quæ est generatio, primo loco agendum est.

Quid est generatio?

Galenus 2. Methodi generationem ὁδόν εἰς οὐσίαν, id est, *viam in substantiam* esse dicit, & genus ejus, 1. De facultatibus naturalibus alterationem statuit: & motum ad substantiam definit. sed quidam subtiliter motum esse negant, & de sententia Aristotelis, quæ est in 8 Physicorum, finem motus esse dicunt: cum tamen ipse Aristoteles 4. De cælo, motum ad substantiam vocet: & alibi mediam esse inter τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι dicat. Sed omissis rixis, appellemus sane cum Philosopho progressionem in speciem, vel transmutationem ex alteratione, formatione que compositam, quæ ad novam substantiam producit: seu qua substantialis forma in materia acquiritur. est autem vel totius, vel partis.

Quomodo fit generatio totius?

Iuncta semina paternum, & maternum, quæ sunt quasi excrementum vtile totius corporis, & a præcipuis partibus corporis, in testes per vasa σπερματικὰ deducuntur: atque in iis ad ζωογονίαν, seu

 generati-

generationem animalis præparantur: formamq; accipiunt, s. fiunt substantia crassa, colore alba, spiritu plena, inde etiam spumosa: calorem insitum cum spiritu habent, in quibus naturalis, atque sentiens vis insidet, & generationis nostræ principia sunt. hæc, cum in utero repurgato coeunt, & retinentur; fit animantis cōceptio. Est autem conceptio propria uteri actio, qua seminum potestas exuscitatur, atque insitum munus exequitur. sicut cum terra semina sparsa, atq; recepta fouet: deinde excitat, atq; producit; ita uteri vis seminis vim excitat, & ad actum deducit. Habet autem, ut paulò ante monui, generatrix duas subservientes facultates, videlicet alteratricem seu immutatricem & formatricem: quæ edunt actiones, videlicet alterationem, & formationem. Alteratio est immutatio seminum, & sanguinis materni in formam embryonis. hujus mutationis, seu corruptionis, ut philosophi loquuntur, initium a forma antiqua, quæ in semine est, ponunt. & Averroes inquit, *non cessant partes spermatis recedere, & partes hominis fieri, donec tota forma hominis perficiatur.* iuncta autem semina materno sanguine, qui per venas ad umbilicum insertas unà cum spiritu per arterias venis iunctas adfluit, augentur. atque inde membra carne prædita, sicut σπερματικὰ semine aluntur: hoc modo per venas, & arterias, quæ, ut dixi, per umbilicum tendunt, conceptum in utero augetur. hic vero formatrix quoque est in officio, & ad diversorum in semine elementorum in unum conventu ad primam diversorum membrorum contemperationem utitur. Primis autem sex diebus in semine quasi lacteo formantur fibræ: diciturq; ea massa ἴκρωσις: cui postea aspergitur, atque adhæret sanguis: & vocatur ἔκτρωμα. Cumque senarius numerus

merus ſitτίλειος, quod ejus partes ſexta videlicet, tertia, & dimidia, ſ.1,2,3. eundem conſtituunt: hic cum ad ſe redit, videlicet trigeſimo ſexto die ordine divino, tum membra ſunt formata; tunc vero nutritio, atque auctio nō ceſſant, donec partus edatur. id, quod fit; cum fœtus grandior factus, & copioſius nutrimentum appetens, ſe diſtendit, ac ſecundinas rumpit. Editur autem, cum ſol ad quadratum aſpectum loci, quem tempore conceptionis tenuit, ſeu in antecedentia pervenit, hoc eſt, ſeptuageſima ſecunda parte dempta à ſignifero, ſeu Zodiaco, qui 365. partes continet: quas tot diebus, & quarta diei parte ſuo curſu perficit. ideo tempori partus, quod eſt *CCLXXIV* dierum, aliquot ſæpe horæ addendæ, vel ſubtrahendæ ſunt, donec Sol ad quadratum perveniat. Qui autem dies partus more Græcorum, qui tempus τεσσαρακοσὸν celebrabant: ante quod gravidis non licebat in templum progredi, ad numerum ſeptenarium referunt; ii numerum 7 per 40 multiplicant, & conſtituunt 289. dies, ſ. hebdomadas 40. ſed plerumq; primo iſtius hebdomade die, ſ. a conceptu 274. editur infans: nō numquam paucioribus diebus pro ratione caloris, atq; aliarum cauſarum, de quibus plura monere artis medicæ Tyronem non oportet. Forma autem infantis etſi a formatrice eſt, tamen ſæpe a Φαντασία, & cogitatione matris inducitur ut exempla & hiſtoriæ declarant. De reliquis, quæ ad generationem ſpectant; ut quo pacto anima inſeratur corpori: item quomodo ſpiritus, & facultates naturales a ſemine propagentur, docere non eſt noſtri inſtituti.

Quid appellas generationem partium!

Generatio eſt alteratio ad ſubſtātiæ productionē,

quæ ut Aristoteles dicit primo De ortu, fit corruptione formæ, quæ substantia est: sed Auerroes exitu formæ de potentia ad actum. Cum autem Aristoteles 3. Physicorum actum ejus, quod est in potentia quatenus potentia, motum definiat, nec a mutatione separet non omnino vitiose generatio motus appellari potest: & propterea contra Auerroidem in tempore fieri statuendum. Sed his missis, cum partes totius naturam obtineant; fit eodem modo in partibus per alteratricem, & formatricem, ut in toto generatio. Peculiariter autem agitur in substantiæ facultate ossifica, neruifica, &c. quæ vero sit singularium partium generatio, conformatio, substantia, quantitas, numerus, figura, situs, colligantia, actio & passio, ex alijs scriptis petendum est.

Doce igitur me de facultatis nutricis actione?

Ea est nutritio seu nutrimenti cum nutrito perfecta assimilatio. Dico enim nutritionem naturalem alimenti transmutati vnionem. Monuimus autem huic subseruire quatuor facultates; videlicet attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem; totidem igitur erunt in nutritione actiones. Attractio, cum incitatur a naturali appetentia, quæ fit, cum calor absumpsit nutrimentum conveniens, atque aliud expetit; motus ejus fames dicitur; est autem fames, ut Galenus definit, sensus suctionis venarum: nam, cum humanum corpus non solum augeatur; verum continue dissoluatur; membra semper a venis ad dissoluti restitutionem, i. humorem petere necesse est: venæ rursus ab hepate trahunt.

hunt. Hinc mesaraicæ chylum exigunt. inde ventriculus contrahitur, & ab istius suctionis sensu excitatur appetentia, quæ *fames* dicitur. Ea vero interdum vel propter melancholicum humorem delapsum in ventriculum: vel acidam pituitam in eo collectam fit vehementior, atque præternaturalis: sicut remissior quoque propter auctam pituitam dulcem, seu potius insipidam, quæ aliquam rationem nutrimenti a cibo orti habet. hinc Galenus inquit, sine ciborum opera neminem nec in secunda, nec in adversa valetudine vivere posse. Vt igitur omnibus animalibus partibus, quemadmodum Galenus 3. De facultatibus naturalibus docet; desiderium quoddam, quam appetentiam dicimus, convenientis qualitatis insitum est; ita ventriculo alimenti appetitio. Fit autem alimenti quædam præparatio in ore primum: nempe calore oris, atque tunicarum ejus, quæ cum ventriculi tunicis adfinitatem quandam habent. Frangitur etiam, & comminuitur cibus dentibus: quam cibi contusionem Aristoteli coctionis nomine appellare libuit. deinde agitatione linguæ deiicitur. œsophagus vero hunc trahit villis rectis, pellentibus cum villis, seu fibris transversis gulæ, seu laryngis. ita alimentum, s. cibus, & potus demittuntur in ventriculum; ut appetentiæ naturali satis fiat. Retentrix igitur facultas deinceps est in officio, ac ob similitudinem quandam assumtum cibum detinet inservientibus ad hoc fibris obliquis primæ tunicæ: ut ventriculus alimentum complectatur, donec fiat concoctio. Hunc ventriculi complexum, quo alimentum amplectitur, *clausionem* ejus vulgo vocant, cum scilicet in se plane contrahitur ita, ut nec orificium superius hiet

 (dummodo

(dummodo ventriculus naturaliter sit adfectus,) nec inferius, seu potius ad latus positum. scilicet pylorus sit apertus. Eo igitur temporis spatio facultas naturalis concoquens cibum mutat non ope fibrarum; sed caloris, & spiritus, atque vi vi innata ventriculo. Confert tamen aliquid huic moderatus calor membrorū circumiacentium; etiamsi chylosis, s. coctionis in ventriculo calor, & insita quædam vis substantiæ ventriculi causa sit. duo autem in hac coctione ventriculi concurrunt: primo comminutio, & primæ formæ in alimento corruptio. ad quam quidem actionem plurimum calor membrorum circumiacentium facit. secundo alimenti in chylum mutatio: quæ fit sola vi insita vētriculi. atq; hæc concoctio Aristoteli ἕψησις dicitur. etsi vero ventriculus sanguine nutritur; tamen & suauiore parte chyli perfruitur: ac post eam voluptatem, officio transversarum fibrarum, quæ in secunda tunica conspiciuntur, chylum excludit, atq; in intestina demittit: in quibus licèt per fibras transversas, quibus intestina prædita sunt, expellendi vis valida sit: tamen circumvolutiones intestinorum faciunt, ne chylus ante dilabatur, quam id, quod succulentum in eo est, per venas mesaraicas, ut dixi, extrahatur. tandem excrementa in infima & crassiora intestina reiiciuntur, quorum extremū musculo, quem σφιγκτῆρα vocant, munitum est, ac propterea deiectio quidem intestinorum naturalis: retentio vero voluntaria est. Hæc de prima coctione satis. Porro hoc observandū est, etiamsi assumptum nutrimentum ubiq; mutetur; non tamen ubiq; coquitur: sed tantum in iis locis, in quibus diutius subsistit: concoctio enim est perfecta in alimento a nativo calore substantiæ mutatio. quā, ut præcedit præparatio: ita excrementi depulsio sequitur.

quitur.

quitur. Quemadmodũ manifestum est in ore alimentum ventriculo præparari, & excrementum ejus per tria crassiora intestina inferiora deiici. Cum autem tria sint loca, in quibus alimentum non solum diutius hæret; sed etiam perfectam mutationem suscipit, videlicet, ventriculus, hepar, & singulæ partes: triplex quoque concoctio a medicis statuitur. Primæ inchoatio. seu præparatio est in ore: perfectio in stomacho: absolutio in intestinis; siquidem & intestina quadam vi coctrice prædita sunt, & utile aliquid a chylo ad se deriuant. Excrementum vero, quod Græci ἰχῶρ & ὑποχώρημα; Latini *stercus* appellant, in cœcum intestinum, ac ab hoc in κόλον, atq; rectum deiiciunt. Sed hæc de Prima coctione satis.

Doce me de secunda, quæ fit in hepate?

Cum chylus in intestina delapsus est; vi attractiva hepatis, atq; venarũ fertur ad hepar per venas mesaraicas, & transitum juvat succorum tenuitas, quæ est a potu: isq; alimẽti tamquã vehiculũ exsistit. Etsi vero tenuitas ad transuectionem plurimũ faciat, quemadmodum & in medicamentorum usu, & intemperatis hominibus, qui prompte potum crudum per urinam deiiciunt, videmus: tamen statuimus venas mesaraicas, quæ intestinis insertæ sunt, elicere, atq; trahere succum e chylo vi sua naturali, & incitari appetentia naturali, quæ est in hepate. Distributio autem, seu deductio succorũ per mesaraicas ad iecur ratione potius, quã sensu cognoscitur: sunt enim usque adeo tenues venæ, ut in mortuis animalibus itidẽ, ut in vesica earum meatus plane claudantur. vnde & intestina inflari possunt. ac licet venæ conspiciantur in mactatis animalibus; tamen in illis non chyli, sed sanguinis potius

potius pars videtur. Vnde manifestum est quamlibet venam mesenterii sanguinem continere, ac chylum: & nutritioni, ac distributioni subservire: sed superiores distributioni magis, Id quod purgationes indicant, in quibus tracti humores a medicamento ad vicina intestina ventriculo confluunt: inferiores vero expulsioni magis aptas esse; ut apparet in cruentis dysenteriis, in quibus inferiora intestina exulcerantur. Cæterum præparatio secundæ coctionis fit in dictis venis mesaraicis. hanc statim subsequitur attractio iecoris per venas. excipit autem chymum vena illa, quæ in aditu hepatis est, & *πύλαι*, seu *vena portarum* dicitur, ea per augustos, & tenues ramos in ipsum hepar chymum paulatim distribuit. Transuectio autem ista tarda propter venarum exilitatem, retentricis facultatis actionem quasi obtinet. Propria vero hepatis substantia calore suo innato, & ingenita vi sanguinem conficit, & ejus sibi portionem benignam adsciscit. Sunt autem in sanguine propter alimentum diversæ partes; quædam pars tenuis, & lenis, hanc *bilem* appellant: quædam fæculenta, & crassa, hanc *melancholiam*; quædam nondum satis cocta, hanc *pituitam*. Porro hi quatuor humores, seu succi, procreantur calore hepatis in hepate, & *naturales humores* dicuntur. Quorum vero generationis locus alius est ac in hepate, nec efficiens calor naturalis, hi *præternaturales* appellantur, simul autem nascuntur,& diversitas non est à colore, sed ut dixi, à diversis chymi partibus, seu à materia. Unus autem calor, videlicet naturalis, diverso modo, in diversas partes materiæ agit, & effectio ejus *αἱμάτωσις* dicitur, quæ tota substantia diversa est à *χυλώσει*, quæ in ventriculo fit. Præparatio autem

autem, ut dixi, ejus fit in venis, quæ quandam coquendi sanguinis vim a suo fonte, videlicet hepate, acceperunt. Excrementum vero triplex: nam serosum separatur & trahitur per venas emulgentes, a membris, ac in vesicam profunditur; quæ etsi fibris transversis, ejus etiam serositatis acrimonia stimulata, hanc expellit: musculo tamen clausa est, unde urinæ emissio voluntaria censetur. Deinde, massa sanguinea, priusquam per venas in totum corpus vehatur, repurgetur a natura, non tantum tenuioribus, & acrioribus humoribus: verumetiam fœculentis quoque & crassioribus, qui tamquam excrementa habentur, & iis in loca propria in quæ deducantur, sunt fabricata. Bilis, quæ tenuissima & calidissima portio massæ sanguineæ est; in coctione acrior, & quasi ignea facta in vesiculam fellis, occulta ejus vi, suisque fibris adiuta trahitur: cumque turgescit; in intestina superfluum deponit. inde non solum excrementum primæ coctionis tingitur, sed ejus acrimonia vis expulsiua irritatur. Humor autem crassior melancholicus dictus, quia calore hepatis non potuit perfecte immutari; allicitur, atque trahitur per venam, quæ a iecore in lienem transit ab ipso liene: puriorque ejus pars lienem nutrit. Crassius autem hujus excrementum in ventriculum transmitti Galenus 5. De usu part. & 3. De fac. nat. dicit: atque eo ventriculum firmari, & appetentiam incitari, & per intestina deiici quidam censent. Hæc etsi ita magno consensu affirment multi; tamen Anatome raro ostendit vias, atque meatus tales, per quos possit incrementum crassius in ventriculum è liene expurgari. Licèt enim sinistro ventriculi lateri venæ inserantur: hæc tamen non à lienis corpore prodeunt. sed ab iis

venis,

venis, quæ lieni implantantur: ac, si quid per illas in ventriculum defertur; fundo non orificio, in quo est appetitio, iniici consentaneũ est. Quidam tamen insignis magnitudinis venã à liene ad os ventriculi tendentem, sanguine plenam se in sectione vidisse prædicant: & per venæ portæ ramum acidum humorem stimulum famis ad ventriculum deferri existimant. Galenus etiam aliquid in omentum transmitti posse com. 7. Aphor. 55. affirmat. Quare de hoc quidem cogitandum amplius: ac potius naturæ arcana admiranda censeo siquidẽ nec meatus vesicæ, nec hepatis per pulmones excretio satis ex Anatomicis patent.

Habetne pituita, quæ etiam est humor recrementosus, proprium receptaculum?

Pituita illa, quam non naturalem appellamus, in stomacho, atq; intestinis locum proprium habet. sed illa, quæ in hepate generatur, & *naturalis* dicitur etiamsi nondum sit elaborata, & perfecte cocta: tamen cum sanguine vehitur, & tandem concoctione in eum transit, ut diximus: ac differt non naturali, quam in ventriculo generari constat: verum multo magis ab ea, quæ per nares, quã βλέννα, seu mucus, aut κόρυζα, cum destillat, dicitur; ea enim cerebri excrementum est, quod ex vaporibus ascendentibus augetur. cumq; ex universo cerebri corpore eiicitur; per nares, ac palatum excernitur.

Doce me de tertia coctione, quæ fit in singulis partibus.

Absoluta αἱμάτωσι in hepate, sanguis in venam, quæ in conuexo iecinoris sita est, & *canna* appellatur, prolabitur, utq; facilius vehi, & per venas duci possit; pars serosi humoris, quæ antea diximus, ad

renes

renes per ductus venarum emulgentium trahi, massæ sanguineæ adjuncta est: eam Hippocrates ὄχημα τροφῆς appellat. Tansfertur autem sanguis, tamquam è fonte per suos canales ab hepate, primum quidem per cavam venam: deinde per propagines ab hac ortas in universum corpus, omnesque partes æqualitate, seu proportione Geometrica, ut vocant, quæ justitiæ distributivæ convenit. Is verò sanguis, licèt à supervacaneis humoribus sit purgatus; non tamen purus, & syncerus est, sed in sanis corporibus ea proportione constat, ut in tota massa excellat optimus sanguis: secundum locum obtineat pituita dulcis, quæ in sanguinem converti potest: tertium, melancholicus succus, omnium autem paucissima sit bilis, quæ propter amaritudinē nutritioni incōveniens est, & sanguinē calidiorem justo reddere potest. Cū vero aliquis istorū humorū proportione sanguinem superat colorē corporis fœdari necesse est: siquidē color humorū index cēsetur. Hinc videmus, cū plusculū bilis sanguini admistū est; icterū consequi. Hic tyrones medicinæ hoc monēdi sunt, magno cū periculo corpora pura medicamentis purgantibus uti: & sanguinē, ac carnes colliquari per medicamēta; cū nō reperiunt humorē, quē expurgent. Itē fugiendā esse ciborum varietatē, & diligentiā in victu adhibendā, ut cibus sit εὔχυμος, s. ex quo optimi sanguinis plurimū generetur. Vt autē ad institutū redeā trahunt mēbra vi naturali, & sibi familiare alimētum alliciūt: fitq; sanguinis s. massæ sanguineæ, in qua quatuor humores proportione quędā defæcati cōtinētur, elaboratio, & præparatio tertiæ coctionis, deinde in venis exilibus progeneratur humor alimētari9, ex quo ordine quatuor humores secūdarios Avicēna, & qui cū sequūtur fieri

fieri putant. Primo enim humor, quem *alimentarium* appellamus, è venis prolabitur, & in roris speciem cogitur: aspersus hoc modo deinde agglutinatur: agglutinatus in partis substantiam transit, & perfectè assimilatur; modo corpus sit sanum: nam in hydrope ἀνὰ σάρκα non fit ista assimilatio in carne musculorum: alia autem fit in osse, alia in cartilagine, vinculo, membrana, nervo, &c. caro quidem prompte: ossa, cartilagines, &c. quorum substantia sanguini dissimilis est, minus. Hæc autem assimilatio totius nutritionis finis est; atque absolutio. Porro excrementa hujus tertiæ coctionis sunt ea omnia, quæ per cutis spiracula, *poros* appellãt efferuntur, & cuti inhærescunt; ut sordes, & sudores, qui sunt reliquiæ serosi humoris cum sanguine vecti, si modo non immodice, & præter naturam erumpant. Immo dici enim sudores, veluti pus & sanies morbosi excrementi rationem obtinent. sic cum in balneo, exercitiis immoderatis, aut æstu copiose sudor profluit, sæpe cum serosis humoribus utiles quoque dissipantur. Verum disputationem de sudore, quæ Galeno cum Diocle est, explicatam studiosi à Manardo habent. Sanguis autem nisi erosis, ruptis, aut reseratis venis non prolabitur: idque cum fit statim concrescit fibrarum ope. Cum autem ei putredo inest, & fibræ corrumpuntur non quidem jam in gruinam transit: sed deteriorem speciem obtinet. Est autem sanguinis proprium extra venas concrescere: reliquorum humorum non item. Postremo pili, & ungues tertiæ hujus coctionis excrementa censentur. Pili quidem fumosum; ungues vero à nervis, arteriis, ligamentis, & membranis ortum. Hæc de nutritione; in qua observandum

primæ

primæ coctionis instrumentum esse os, gulam, ventriculum, & intestina: secundæ venas mesaraicas, hepar, & cavam venam: tertiæ venas capillares, partes similares, & ex his constitutas organicas. quæ vero sit lactis in mammis, aut seminis in testibus progeneratio, dicere non est huius instituti. Aristoteles duas tantum coctiones facit in libro De iuventute, & senectute: primam in ventriculo: alteram in corde, in quo sanguinem perfecte elaborari censet, & ab eo ad diversas corporis partes, ut illo augeantur, & nutriantur, transmitti. In membris vero non fieri coctionem; sed nutritionem docet.

Restat, ut de auctricis actione me doceas.

Hæc dcitur actio, quæ est solidarum corporis partium per omnes dimensiones: longum, latum, profundum, forma propria, & continuata servata ampliatio. Ut vero finis nutritionis est assimilatio; ita auctionis ampliatio, seu extensio, quæ eo modo fit a natura, ut nulla pars corporis divellatur: sed omnes æqualiter secundum omnem dimensionem extendantur. Recte vero *incrementum* apellatur: quod est ejusdem formæ per ampliorem materiam extensio accedente ejusdem generis materia. Efficiens caussa ejus est calor innatus, qui non dissolvit, aut demolitur; sed in majori quantitate deperditum restituit. Materiale nutrimentum facta nutritione reliquum. Formale ipse motus in quantitate. Finis, ut in omnes dimensiones crescat, & roboretur corpus. Habet autem & hoc incrementum suum terminum in ἀκμῇ nec pinguefactio, aut moles

in κακοχυμίᾳ auctiones censendæ sunt. Dicam hîc pauca de attractricis actione, quæ quidem non à sola siccitate est; sed natura, quæ desiderio convenientis pleni, numquam vacat. Est igitur semper in officio, nisi vel meatus, per quos fertur nutrimentum, sint angustiores; ut in adultis, qui propterea etiam minus augentur: vel alimentum crudum frigidius, & crassius; ut in senibus, in quibus & calor innatus præcipuus attractionis effector, debilior est.

Dic de retentrice.

Actio est retentio: eaq; duplex, vel alimenti plane mutati; vel nutrimenti in substantiam membri conversi. huic, etsi siccitas subserviat, tamen familiare sibi natura vi sua retinet, ut, quod absumptum est, restauret: etiam excrementorum retentio sua utilitate non caret.

Dic de expulsionis actione.

Facta coctione natura sibi simile asciscit: dissimile autem & inconveniens nutritioni, & accretioni remanet. id vi expultricis, & contractione, quæ fibrarum ope fit, cum fluxibilitate, ipsius materiæ impetu, & aptitudine corporis natura in sua actione adiuuatur, expellitur. Porro expulsiua certis instrumentis utitur; ut cum venter exoneratur, vel vrina excernitur musculis: itẽ cum pulmo expurgatur: aliæ partes villorũ transversorum ope, ut cum stomachus per vomitum, quod molestat, reiicit. Faciunt autem ad expulsionẽ copia, materia, pondus, levitas, & impulsio spirituum ut in sudore deniq; quod excrementa cum partibus nullã, aut exiguã similitudinem habent; sicut enim fit attra-

ctio

ctio propter similitudinem; ita expulsio propter contrariam causam, quemadmodum in explicatione doctrinæ de sympathia, & antipathia ostendemus. Cum autem naturæ vis infirmior est, quam ut exonerare se possit, tum medicamentis purgantibus necessario utimur.

De actione potentiæ vitalis nunc me doceas.

Ut in reliquarum facultatum sedibus quædam actiones in ipsa sede, seu membro sunt: quædam vero ab ipsa progrediuntur: sic in corde generatio caloris, & spiritus vitalis sunt propriæ actiones cordis in ipso. Motus autem, qui efficitur dilatatione, & constrictione, quem pulsus arteriarum sequitur, a corde esse censetur. adfectus vero rectius *passiones*, *cordisq; actiones* dici Montanus asserit.

Declara hac, & primum de calore, & spiritibus cordis tuam sententiam exponas

De calore hoc tenendum, etsi sint viri non indocti, qui unicum calorem innatum, seu naturalem in homine inesse putent, cum modo *naturalem*, seu *innatum*, modo *vitalem* appellent: tamen revera hanc distinctionem esse observandam, calorem, qui solidis partibus cum humido primigenio inhæret, & nutrientis animæ instrumentum est. esse à semine: & analogiam ad cælestem calorem obtinere. de hoc tum in multis locis loquuntur Hippocrates, & Galenus: tū & supra perspicue meam de eo sententiam studiosis exposui. Hic quo copiosior est, eò vegetativæ animæ effectiones meliores. Hujus enim copia (ut videre est in pueris) nulla molestia corpus afficit;

ſed omnes actiones vegetat, & firmat: eſtque ineunte ætate copioſiſſimus. Alius autem eſt calor ex ipſo ſanguine ortus, qui inſitum calorem fovet, atque excitat. cujus fons, & origo in corde eſt: e quo in univerſum corpus dimanat. Is etſi a Galeno, & reliquis medicis interdum naturalis, vel innatus quoque dicitur; tamen proprio nomine vitalis: & quia per arterias membris infunditur; a medicis *infuſus*, atque *influens* appellatur. hic, cum auctus a ſua temperie recedit, vel ſpiritibus calefactis; ut in febribus ephemeris: vel propter humorum putredinem; ut in febribus putridis: vel cum ſolidæ partes præſertim cordis permanentem calorem, ſeu hecticum obtinent, & a corde in reliquum corpus effunditur; febris proxima, eaque, quam *coniunctam* vocant, cauſa eſt. ideoque non parum ſua intemperie, inſito quoque calori, ſi vel a venenata qualitate, aut peſtilenti ſeminario afficiatur; pernicioſius eſt. Cum autem aliqua pars corporis propter eas cauſſas, quæ calorem præternaturalem inducere poſſunt; incaleſcit, nec tamen hic calor communicatur cordi, & ab hoc univerſum corpus effluit; nequaquam febris cauſſa dici poteſt. Cæterum hic calor, cum ſecundum naturam ſe habet, & nullo exceſſu præditus eſt; *naturalis* à medicis dicitur. cum vero exceſſu aliquo naturæ infenſus, ſive ſit ab obſtructione prohibente tranſpirationem, & putreſcente materia: ſive occurſu vaporis venenati, & peſtilentis: ſive aliis de cauſſis; præternaturalis efficitur, & dicitur. Atque hæc de calore tenere ad explicãdam doctrinam de febribus utiliſſimum eſt. De ſpiritu autem vitali, qui inſeparabilis comes eſt caloris, res ad eundem modum ſe habet, & de ejus generatione ſupra dictum

eſt. Hoc iterum monendum ſuper califactis ſpiritibus a cauſſis, quæ vocantur προκαταρκτικαὶ; ut calore Solis, defatigatione: & per artèrias calorem ferri in omne corpus, & eam febrem, quæ ephemera, ſeu diaria dicitur, efficere. Porro, ut hic calor inſidens ſpiritui per univerſum corpus poſſit meare; totum eſt tranſpirabile: innatus enim calor reſoluens materiam, concavitates, & poros facit; qui, dum non ſunt occupati alimento, aere implentur: cum vero in venis, & aliis locis viſcoſo, & excrementitio humido obducuntur; prohibetur calori tranſpiratio, & in præternaturalem convertitur: unde putredo ſequitur. Indiget enim non ſolum inſitus calor, & ſpiritus qui præcipue animal a putredine peſſimo hoſte virium è ſolidis partibus in humores ſpirans conſervat, ut ſpiracula ſint aperta: nec humorum multitudine, vel lentore obruantur, atque obducantur: verumentiam iſte naturalis, ſeu vitalis calor, de quo nunc agimus, tranſpiratione; cumque ea deſtituitur, ſuffocari animal neceſſe eſt. Primo propter denegatam refrigerationem; ut videmus in balneo, æſtu, atque exercitio immoderato: quæ cum ſint immodica; extinguunt hanc flammam immoderata ventilatione: itidem ut externa flamma immodica ventilatione extinguitur, & mediocri conſervatur. Secundo, quia aere perpetuo, tamquam pabulo calor indiget, hinc non ſolum in aquis; verum in aere quoque interceptis meatibus corpora ſuffocantur. Poſtremo, quia, ut, niſi ſit fumi expiratio; flamma ab hoc extinguitur: ita, niſi hic calor fumoſa excrementa poſſit eiicere, ipſe quoque emoritur. Sed de reſpiratione, & pulſu nunc agemus.

DE MOTV CORDIS, ET ARteriarum pulsu.

MOvetur cor vitali facultate perpetuo: fitque diastole, & systole cordis In diastole quidem, seu dilatatione cor recipit intra se aerē à pulmone haustum & præparatum, qui calorem ejus non tantum contemperat, sed & ad spirituum vitalium conservationem utilis est. Elicitur item ex vena cava in distensione illa sanguis in sinistrum cordis sinum. In systole vero seu constrictione, expurgantur fumi cordis: & spiritus vitalis in arterias dilatatas & apertas exprimitur. Inde insurgunt arteriæ: & fit diastole s. extensio, seu dilatatio arteriarum. Est igitur vis pulsifica tamquam ministra vitalis, quæ a corde quidem proficiscitur, & arteriarum corpori confertur. Quare efficiens caussa pulsus est facultas ab ipso corde arteriis concessa per spiritus. Instrumentalis caussa, quæ ad efficientem pertinet, est ipsa arteria. Finalis, ut conservetur temperies caloris propter generationem spiritus animalis in cerebro refrigeratione, & attractione novi aeris, quæ fit in diastole: & expressione fumorum, quæ fit in systole. Porro motus distensionis, & contractionis proportio *rhythmus* dicitur. Sed de pulsibus videndus est Galenus, & legendus eruditissimus libro *De arte sphygmica Iosephi Struthii*: atque ea, quæ Montanus, & clarissimus Fernelius de his docuerunt: quæ omnia vix tamen nos in aliquam de pulsibus certam cognitionem adducere possunt. Cum autem per eum mo-

tum, quo cor, & arteriæ moventur, neque satis aeris, atque pabuli possit attrahi, neque fumi omnes expelli, atque calor, & spiritus repurgari; accessit ad motum istum cordis, & arteriarum respiratio, quæ licet regatur ab animali facultate, cum ad eam requirantur musculi: tamen quadam necessitate ducitur, & perpetua inspiratio, & expiratio efficitur. Ei inspirationi autem recte comparatur diastole; quia novus aer in pulmones fertur, atque prius quam in cor transmittatur; præparatur. Expirationi vero systole: quia fumosa excrementa propelluntur, & pectoris calor repurgatur. Hinc videmus, cum non magna urget necessitas: saltem motu diaphragmatis aerem attrahi in pulmones, & fumos excludi. Cum vero major est necessitas: thoracis quoque musculos attolli, atque dilatari oportet. Cum maxima; etiam eos musculos, qui coxis, atque ventri incumbunt, moveri necesse est. Contrarius vero motus est compressionis in expiratione vehementi, quæ *exufflatio* dicitur. Est autem respirationis tanta necessitas, ut sine ea vita durare non possit: hæc enim calorem cordis conservat: spiritibus animalibus prodest: ad olfactum couducit: denique, ut Platoni placet, alimenti per corpus digestionem juvat. Caussa eius efficiens appetitus cum voluntate, qui bonum persequitur, videlicet contemperationem caloris. Instrumentum musculus, quem *septum transversum* appellant. Expiratio autem etsi fit à naturali pectoris motu ad suum locum redeunti; tamen, ut dixi, vehementior musculis utitur ita, ut quasi in corde duo motus esse videantur.

Quid de affectibus censes?

Sunt ii quidem à vitali facultate: verum, cum in illorum effectione afficiatur cor; rectius *passiones* de sententia præceptoris mei D. Montani excellentissimi Medici, & philosophi, quam *actiones* vocantur. Qui vero, ac quales motus cordis, & spirituum fiant, dum affectus prodeunt, ac quo pacto in singulis affectibus, videlicet lætitia, tristitia, ira, metu, amore, odio, furore, pudore, verecundia cor afficiatur, petendum est ex iis libris, quæ de his copiosam doctrinam continent. De motibus autem, qui *appetitiones* dicuntur, sive sint naturales, quas in hepate collocant: sive θυμοειδῆς, quas in corde: sive rationi, & voluntati obtemperantes, ut doctorum scripta legantur, & sententiæ diligenter conferantur, moneo. Nam, etsi perturbationes sæpe morbos præcedant; tamen harum remotio non proprium est medici, quem nunc instituimus, officium. Naturalium vero appetitionum causas, & remedia facile est medico reperire: atq; in his ægris moderationem quandam præscribere.

De animalibus actionibus nunc dicendum est.

Horum effectrix est facultas animalis, quæ suum domicilium in cerebro habet: & spiritu animali, tamquam primo, & præcipuo instrumento utitur. Sunt autem quædam actiones in ipso cerebro, videlicet, sensus interiores, quos Galenus *facultatis principis actiones* vocat, videlicet imaginatio, ratiocinatio, & memoria. quædam ab ipso, s. facultate iam

operante, seque non modo intra cerebrum continente; sed extra quoque ferente; ut sunt sensuum actiones, & motus. Somnus autem, & vigiliæ affectus cerebri proprie dicuntur.

Dic de sensibus exterioribus.

Recte: nam à sensibus exterioribus ad interiores perferuntur imagines: &, cum hæ sensui, quem communem dixi, offeruntur, & imprimuntur; vera fit sensatio. Est autem hoc sciendum, sensum affici ab externis qualitatibus, & obiecta percipere, nec tamen inde mutari; non enim oculus percepto colore albo fit albus. Sensuum caussa efficiens est facultas instrumentalis: spiritus animalis, qui (ut dixi) ex vitali per arterias carotidas in contextum choroiden sublatus, atq; in eo primum alteratus: deinde vi cerebri substantiæ insita elaboratus, & animalis factus. hic inquam, spiritus ex cerebro in sensuum, & motus instrumenta fertur: & in oculis, ac nervo optico visionis instrumentum: in auribus, auditionis: in naribus, seu potius in propaginibus cerebri, forma nervi albicantibus odoratus: in lingua gustatus. In nervorum propaginibus tactus instrumentum est: aliisque corporis instrumentis præsidet. Porro quædam organa spiritum familiarem, seu congenitum habent, ut de auditione dicemus.

Estne actionum sensuum aliquod discrimen?

Maxime; primo enim differunt instrumentis: nam & spiritus ipse in instrumentis diversis diverso

modo ſe habet: deinde ratione medii. Quidam enim ſenſus percipiuntur contactu; ut tactus, & guſtus: quidam ad diſtans medio corpore interiecto; videlicet aere, aqua, vel fumoſo quodam; ut viſio, auditio, olfactio. Poſtremo etiam differentia conſtitui ab obiectis poteſt; alia enim obiecta alios ſenſus feriunt.

Quid eſt viſio?

Eſt actio, qua color, ut obiectum proprium, illuminatus, per medium διαφανὲς, ſeu perſpicuum, ut aerem, vel aquam, oculos ferit: nam lux, vel lumen quatenus viſibile, eatenus coloris rationem ſortitur. Porro lumen etſi neceſſario ad viſionem requiratur tamen non eſt obiectum ſed quiddam illuſtrans colorem, qui, ut dixi, per medium illuminatum aerem, vel aquã uſque ad oculũ protenſus rei viſæ imaginem præfert. Oculus vero, qui & ipſe ex perſpicuis, ſeu διαφανοῖς δυνάμει conſtat; videlicet cornea, humoribus, & præſertim lucido, ac concreto humore cryſtallino: cui imagines perceptæ imprimuntur, & officio vueæ tunicæ, quæ opaca eſt, retinentur, donec per neruos opticos in cerebrum: & ſenſum communem deferantur, excipit. Cum vero dico imagines deferri per medium διάφανον; non hoc volo aliquid ab ipſis rebus obiectis, ſeu à coloribus defluere ad oculum: nec foras ex alio erumpere: ſed hoc ſignifico ſpiritus, atq; διάφανον oculum ab illuminato corpore forma pyramidali afficere. Inde fit, ut propius viſa melius; longius vero minus perfecte conſpiciantur. Διάφανον autem, ſeu perſpicuum, quod non niſi per lumẽ actu φαίνεται, concipiendo lumini idoneum eſt, & quaſi cõ-

venientiam habet: atq; eadem convenientia, & aptitudo oculis quoq; nostris insita est, ut antea diximus. Est vero lumen ἐνδελέχεια corporis lucidi: revera enim ætherea corpora διαφανῆ sunt ἐνεργείᾳ. atque eorum πλειότης, καὶ ἐντελέχεια est lux. ideoque cælo nullus color est: sed, cum sit διαφανὴς; huic opponitur opacum, quod est luminis privatio. Aer vero, aqua, cornu, vitra sunt δυνάμει lucida; quia lumen à cælestibus corporibus accipiunt, & *transparentia* dicuntur. Aristoteles nãque vocat transparens διαφανὴς ἀόριστον; quia nullum certum colorem obtinet: sed in se omnes potentiâ habet. Corpus vero, quod in extremo certum calorem accepit, à mistione ortum ὁριστὸν atque terminatum est. Fiunt autem colores in superficie corporis illuminati ex commistione perspicui, cujus materia est pura: & obscuri cujus impura, nec sunt ipsa ἐπιφάνεια, s. superficies, ut Pythagorici existimant: sed terminus, ac extremitas corporis lucidi, seu transparentis terminati motivi διαφανῆ cæterum corpora naturalia secundum philosophos sunt quinque: cælum, elementa, animalia, plantæ & metalla. Cælum quidem est lucidum; sicut omnes ejus partes. Color autem, qui in eo apparet, ratione opaci conspicitur. Elementa vero, etsi alba sunt præter terram; tamen propter opacum aliter conspiciuntur. In reliquis autem tribus corporibus naturalibus vere coloris ratio spectatur: in ipsorum superficie ortus, ex mistione lucidi, atque opaci, per aliquam alterationem elementarem: nam tria elementa dicimus esse alba, & perspicua, ut jam monui: terram autem tenebricosam; licèt usta interdum a[illegible]a conspiciatur, horum igitur diversa commistio diversos colores efficit. Ex his manifestum, quamvis lumen, atque super-

supercies necessario requirantur, ut appareat color: tamen nihil cum eo commune habere. Hinc etiam cognoscimus cur splendida, & cogenitum lumen habentia; ut flammæ, vel oculi catorum, in opaco conspiciantur. Sed de his plura in præsentia disputare: item quo pacto colores fiant, & quæ earum differentiæ, non est nostri instituti.

Quomodo fit auditio?

Instrumentum auditionis est auris, seu membrana, quæ intus inclusum aerem obtinet. Hunc exterior aer, in quo facta est collisio, & sonitus editus per auris tortuosos anfractus citra ullam offensionem ferit, & membrana blande concutitur, ut personet. Tum exterior aer, interior, & spiritus audiendi conveniunt, & soni, ut ita dicam, species percipitur, ac ad sensum communem defertur. Medium itaque est aer, qui ab ea parte, a qua primo verberatur, impellitur eousque, donec ad aurem, perveniat, ideo & ictus, seu collisiones corporum in longinquo factas non statim auribus percipimus. Potest & aqua esse medium auditionis, ideoque Græci διηχὰ media auditionis vocent, & Aristoteles δίεσιν primum motum vocis, qui percipitur. appellat. De sonis autem disputare hic non est nostri instituti.

Qui est odorandi ratio?

De instrumento odoratus varie disputant medici: nam recentiores paruas duas carunculas spongiosas,

ſas, ſimiles mammillarum papulis proxime ſupra nares in medio oculorum poſitas, quos & *mammillares proceſſus* vocant, inſtrumentum odoratus ſtatuunt: ſed revera non ſunt. Legitimum antem odoratus inſtrumentum dicimus duos proceſſus cerebri figuram nervi habentes, & albicantes, ex terminis anteriorum cerebri ventriculorum ortis, & ad narium meatus, ſeu os ἠθμοειδὲς pertingentes: quo odores reſpiratione attractos percipimus. Porro, cum odor nihil aliud ſit, quam exhalatio quædam fumoſa, aerea, ſiccitati, & caliditati participans; ideo igneam naturam obtinet. Habebit igitur & inſtrumentum odoratus igneam vim; ſiquidem in ipſa perceptione odorum neceſſe eſt, ut fiat συμπάθεια, ſicut Galenus inquit 1. De cauſſis ſymptomatum, odorifera odoratus cognata. Ideoque haud probanda illorum ſententia, qui inſtrumentum odoratus humidum eſſe cenſent; ut diſcerni poſſit fumorum differentia. Sed hæc diſputatio etiam per antipathian defendi poteſt. Medium vero, quo percipitur odor, Græcis *dioſma* dicitur. Sequuntur autem odores miſtionem ex qualitatibus: nec certa nomina habent, ſed ad beneolentiam. ſeu εὐωδίαν, & graueolentiam δυσωδίαν, ut Galenus 4. De ſimplicium medicamentorum fac. monet, omnes odorum ſpecies reducuntur.

Quomodo fit guſtatus?

Nervos per mollem carnem linguæ, & palatum ſparſos percipere ſapores dicimus. Eſt autem *ſapor* qualitas quædam in ſucco, ſeu humore proveniens à varia miſtione humidi, & ſicci per diverſam actionem calidi, & frigidi: quæ guſtu percipitur: Statuunt

vero

verò septem saporum differentias: unum videlicet saporem dulcem temperatum, atque medium: tres per excessum frigiditatis; videlicet, acerbum, austerum, & acidum: & totidem per redundantiã caloris; videlicet salsum, amarum, & acrem. De quibus plura videantur in libellis Montani De medicamentorum qualitatibus, & compositione scriptis; nam ἄποιος, seu insipidus non proprie sapor dicitur; pinguis autem, & vinosus ad dulcem referuntur.

Quomodo fit tactio?

Instrumentum tactus dicimus esse nervos per corporis extremitates sparsos. Arbitrantur autem quidam in iis tantum fieri tactionem: & Galeni utuntur suffragio, nec tangendi vim è cerebro difluere. Verum, cum & Hippocrates dicat graves dolores obscurare leviores: cumque videamus obstructiones sæpe fieri, quæ intercipiunt tangendi vim; dicimus vim sentiendi à cerebro; nervos autem instrumentum esse, de medio tactus, atque gustus non necesse est disputare. Obiecta vero dicuntur qualitates primæ: & quæ tangibiles vocantur, & nihil aliud sunt, quam habitus consequentes materiam. De quibus videatur Montani Metaphrasis in quartam Fen. primi Canonis Avicennæ. Sunt & quædam communia objecta; ut magnitudo, numerus, figura, motus, & quies: verum de his plura monere non necesse est. Hoc postremo sciendum, sensus omnes à moderatis objectis rectà affici: ab immoderatis lædi. Sic splendor nimius obcæcat: sonus nimius surditatem affert: fœtida lædunt; cum suaves odores pluri-

plurimum cerebrum recreent, & ſpiritus prompte reficiant. Sic & de dolore ſentiendum; objecta enim vehementia tactus, vel guſtatus graviter ſenſus afficiunt: moderate autem oblata objecta neceſſe eſt aliquantulum in ſenſu conſiſtere: deinde per nervos vehente ſpiritu in cerebrum ad ſenſum communem commeare. Sed nunc de ſenſibus interioribus, quos Galenus *principes* vocat, agamus.

Quomodo fiunt ſenſus interiores?

Oſtendimus tres eſſe facultates: tot igitur erunt actiones; videlicet imaginatio, ratiocinatio, & memoria. Imaginatio complectitur, ut dixi, ſenſum communem: cui exteriores ſenſus offerunt, & annunciant objecta exteriora, fingit igitur imaginatio, ſeu φαντασία ex his ſimulachra: aliàs quidem talia, quales ſunt res: aliàs confuſa, ex quibus voluptatem, vel triſtitiam percipit. Has imagines habent etiam animalia irrationalia; ut canes. qui agnoſcunt dominum, & cæter. ratiocinatio perceptas imagines cognoſcit: de iis cogitat: individua ab individuis diſcernit; eaque dijudicat: ſed cauſarum, item veri, & falſi intelligentiam non habet; nam hæc mentis eſt opus, hæc etiam gallinæ animadvertunt ſibi deeſſe pullos: ovis lupum inimicum cognoſcit, non judicio; ſed ſecretione quædam. Memoria eſt imaginum elaboratarum imaginatione, & ratiocinatione, conſervatio. quæ fit crebra meditatione.

Quid de ſomno, & inſomniis tenendum eſt?

Illud, quod monui: nempe affectus cerebri proprios

prios esse, atque sommum quidem sensuum quietem, in qua fit restauratio spirituum,& caloris refocillatio: quæ duo per vigilias præcipue exhauriuntur. Cæterum, cum spiritus in vigiliis dissipentur, & agitatione perpetua languidiores fiant, quietem postulant: sunt enim vigiliæ sensuū agitatio per multum spiritum: qui, cum dissipantur; quietem optant. Porro, cum relinquātur; quædā imagines in sensibus offerunt se per somnum sensui communi, & fiunt insomnia, quæ nihil aliud sunt, quam agitationes. ideoque cum insomnia gravia sunt; quietem quoque istam turbant, quam spititus requirunt. Fit autem somnus tum præcipue, cum jam à luce diurna spiritus non evocantur, & obnubilantur quasi vaporibus ascendentibus ab alimentis, seu potius eorum coctione, atque nocturno frigore, vel saltem cerebri densantur. Cum spiritus sunt pauci, & vapores multi; fit profundior, & vel propter exhalationis copiam, vel refrigerationem sensibus interioribus nullæ offeruntur imagines. Ideo nec à cibo statim insomnia fiunt; sed, cum moderatus somnus est; offeruntur imagines sensibus interioribus miræ; quarum varietates ex humorum constitutione corporum, eorumque varia affectione, quidam etiam cælestes caussas addunt, æstimantur. turbatis vero nimium spiritibus offeruntur spectra, atque alia horrenda. Sed de his aliàs.

Dic de potentia motiva actione.

Observandum est hoc tyronibus per carotides arterias, quæ ab aorta, f. arteria magna rursum ad iugulum ex utraque parte tendunt, ac carotides, f. so-

ſoporariæ: à practicis *apoplecticæ*, & *ſubeticæ* dicuntur, aſſiduc è corde ferri in cerebrum ſpiritus: atque prius in plexu choroidi; qui fortaſſe; δικτυώδης, ſ. *retiformis* a quibuſdam appellatur (Nullus enim, vt Veſalius probat, ſub cerebro, ut Galenus illum deſcribit, in homine plexus reticularis eſt) elaborari, donec in ſpiritus animale cerebro, ejusque meningibus convertantur: novasque vires adſciſcant, quas in nervos ſentientes, tangentes, & moventes diffundunt. diffuſio autem illa fit motu cerebri, qui in eo aſſiduus eſt tamquam in corde: cum enim contrahitur cerebrum, & interiores ſinus coarctat; ſpiritus e prioribus ventriculis in poſteriores, nervos exprimit. dum autem attollitur motu; ſpiritum vitalem, atque per nares aerem trahit. hæc vero dum fiunt in poſtremo cerebri ventriculo, cerebello dicto, tubercula *glutia* appellata huic adiacentia diducuntur, cum cerebrum attollitur. Contrahuntur vero, cum cerebrum contrahitur: inque medio horum epiphyſis, cui a verme nomen eſt, his inſidet; ne ſpiritus relabi poſſit, verum deprimatur: tum in eam cerebri capacitatem influat, in ſpinæ dorſo, quæ per longitudinem porrigitur (ſiquidem & ipſa medulla ſpinæ a poſtrema parte cerebri propagatur) illabantur. Hinc igitur nervi ab hac medulla orti ſpiritum hunc accipiunt, eoque roborantur, atque cum hoc, ſcilicet, ſpiritu animali facultatem ſeu potentiam movendi, quæ prima, & principalis motus cauſa eſt, in univerſum corpus tranſmittunt. Hæc autem facultas, ſeu potentia, quæ rectore ſpiritu utitur, edit actionem, quam προαιρετικὴν, ſ. actuoſam, Galenus 3. De cauſis ſympt. & 6. Methodi vocat.

Qua ratione fit practica actio?

Proprie practica dicta habent causã impulsivam; appetentiam, quæ commota a phantasia percipiente obiecta tamquã bona vel male τὸν πρακτικὸν, s. voluntatem incitat. Hæc vero rursus facultatem, quæ præcipue effectrix est motus: illa spiritus; hi instrumenta, videlicet musculos impellunt. Porro musculus, qui Græcis μῦς appellatur, constat primo ex ligamento, quod ab osse, vel cartilagine ortum habet in plures fibras diviso. Deinde carne has continente, cui venæ, arteriæ ad nutriendum eum, & calore vitali totum musculum fovendum inferuntur. Tertio nervo, qui ejus principio insertus est. Hoc vero principium musculi *caput* dicitur: medium, ubi in carne nervi, venæ, atque arteriæ cocunt, *venter*. Qua autem parte nervorum, ligamentorum fibræ in unum conveniunt, & ἀπονεύρωσιν, s. enervationem faciunt, tendinemque musculi constituunt, *cauda* appellatur. non autem omnes musculi in tendines finiuntur: nam breviores, quales sunt in larynge, qui in membranas desinunt, hoc carent. tendo vero a natura ligamenti parum differt: atque ejus interventu ossi, ut dixi, alligantur musculi, idque movent. Cæterum, etsi singuli musculi tenui membrana circumdati, & vestiti sunt, quæ eos inuicem distinguit: tamen numerus incertus est, nec prompte definiri potest. Differentia vero eorum licèt multiplex sit; sumitur enim a substantia, ortu, insertione, a parte quam movet: a forma, magnitudine, situ, colore fibrarum, genere, atque compactione, ventribus, tendinibus, atque munere, licet musculi proprium

prium munus est, vt sit voluntarii motus, Instrumentum, sicut oculus, visus. fit autem sic motus. nervus, ut dixi, adfert animalem spiritum, qui numquam musculum destituit. hic facultatem aduehit, quo musculus extenditur, atque contrahitur, simul os vel membranam, cui inseritur, movet; cum vero singuli musculi præter paucos unum genus fibrarum habeant; quidam extensioni membri, quidam contractioni serviunt. Laborat autem musculus, sive extendatur, sive contrahatur nimium: ut, cum brachium tenetur immobile, quem *motum tonicum* vocant: qui ei similis est, quem in alis auium cum uno conatu sine motu in aere vehuntur, esse videmus. sed, cum mediam constitutionem obtinent; quiescunt musculi. Hæc de motu locali.

De intellectus, seu mentis actionibus.

Ostendi paucis verbis cuius vim realem atque actus mentem, seu ad collectum vocamus, substantiam divinam esse separabilem à corpore, atque immortalem actum eius simplicem atque reflexum esse ponunt philosophi. Nullius autem ingenii vis tanta est: neque ullius eloquentiæ tantum flumen, ut vel cogitando capere, vel oratione explicare omnes actiones divinas mentis possit. Superant hæ & Aristotelis summam ingenii perspicuitatem, & Demosthenis admirandam eloquentiam. Cæterum hi, qui ad Aristotelicam doctrinam salutare iudicium adhibent, & quæ religioni adversantur, repudiant: ac cum philosophiæ studio literas sanctas coniungunt, possunt quædam dextre expli-

care. In quo numero sunt apud Græcos præcipui *Basilius Magnus*, & duo *Gregorij*, *Nysenus*, & alter *Nazianzenus*. apud Latinos multi quidem nomen aliquod studuerunt scriptis quærere: de quibus non libet censoriam proferre sententiam, nec omnium trium quibus mirifice impediuntur, atque excruciantur quorumdam liberalia ingenia, hoc in loco explicuit. Illud moneamus iuniores, non solum eos, qui universam philosophiam tamquam animorum pestem ex hominum societate exterminandam putant: quos recte Nazianzenus σκαιοὺς, καὶ ἀπαιδεύτους non audiendos: verum nec istos sequendos, qui veterum ingenia eo usque admirantur, & amplexantur, ut nihil neque verum, neque probabile existiment, quod ab eorum institutione, ac disciplina discrepat, esse iudicamus. Fugiendi autem sunt plane hi tamquam pestes, qui adeo stulti, & arrogantes sunt, ut in philosophiæ ostentatione se religionis hostes profiteantur: quo veri sapientes suo gregi, & Peripatetici viri videantur. Nobis vero, cum propositum sit *Isagogen Medicam* docere; de actionibus, quæ facultatem sequuntur, monuisse sat est; siquidem actiones integræ facultates integras esse monstrant. Horum vero integritas temperamenti, ac primorum elementorum harmoniam, atque consensum indicat. hanc *sanitatem* dicimus, quæ nihil aliud est, quam symmetria, a qua procedunt omnes actiones secundum naturam. Habet vero hæc symmetria in corporibus gradus: nam aliàs impurior. sed, cum non læduntur actiones; corpus salubre dicitur, si retinet dispositionem naturalem, estque actu sanum, s. integras actiones habet. Sanitas autem symmetria triplici modo est in corpore: vel in temperatura

totius

totius, atque partium: vel in compoſitione, vel in partium unitate, ut in noſtra Methodo diximus. atque cum adeſt; conſtituit unam partem medicinæ, quæ eſt de tuenda ſanitate: cum abeſt; alteram, quæ eſt in curanda, atque recuperanda. Hinc definitio vetus Medicinæ in libello Hippocrat. De flatibus inſcripto illa eſt: *Medicina eſt adiectio, vel detractio.* adiectio quidem, deficientium: ſubtractio eorum, quæ redundant. Galenus vero in Arte medica parva Herophili definitionem ponit in hunc modum: *Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum.* Conſideranda autem ſunt corpora, cauſſæ, & ſigna ſalubria, inſalubria, & neutra; ut Montanus in ſuis tabulis in Galeni Artem perſpicue oſtendit. Sed nos ſciamus medicinam eſſe artem ratione certa, atque uſu conſtitutam: qua corporis humani ſanitatem tuemur, & morborum depulſionem adiuuamus. ad tuendam ſanitatem primum requiritur, ut corporis noſtri temperaturam non ſolum primam; ſed cuilibet ætati, & ſtatui convenientem cognoſcamus. hac cognita, cauſæ, quas Galenus 85. in Arte Medica cap. *conſervatrices* vocat, noſtri temporis medici *res non naturales* recte adhibendæ ſunt. Dicuntur autem non naturales; quia & ſecundum naturam, & præter naturam afficere corpora poſſunt: & ſex numerantur; videlicet 1. aer, 2. cibus, & potus; 3 motus, & quies. 4. ſomnus, & vigiliæ. 5. excretio, & retentio. 6. animi perturbationes. horum natura medico diſcenda, & cognoſcenda eſt, & corpori temperato ſymmetro, ac ſano, ut ſimilia adhibenda. Eſt enim hoc ὑγιεινῆς κεφάλαιον: Similia ſimilibus conſervari. Cum autem iſtæ cauſſæ aliquo modo corpus

alterant, non amplius sunt similes. Ideo in ea parte ὑγιεινῆς, quam προφυλακτικὴν vocant, s. *præservatricem*, in qua alteramus, utimur contrariis κατὰ μικρόν. Porro præservatio debetur corpori neutro, quemadmodum θεραπευτική: in qua contraria κατὰ μεγάλα adhibemus, corpori ægro. In iis vero corporibus, quæ á primo ortu neutra sunt sive δυνάμει νοσερά, ἐπανόρθωσις perpetuo requiritur quemadmodum ἀνάληψις in iis, quæ ex morbo iam conualescunt, ac quibus afflictas vires restituimus. Hic & caussæ tres congenitæ, seu necessario corpus nostrum afficientes considerentur, videlicet 1. siccitas, quæ ætatis cursu ad interitum nos vocat. 2. assiduus, atque continuus substantiæ defluxus. 3. & excrementorum calido aucto, vel diminuto proventus. His tribus, etsi medicus plane mederi non possit; tamen aliquid adiumenti afferre potest. Cum vero iam corpus morbo afficitur: estque non tantum leve πάθημα præter naturam: sed διάθεσις contra naturam in corpore, vim ei inferens, & actiones lædens, hoc *morbum* dicimus: is est in corporis substantia, parteque similari, vel instrumentali. ejus autem caussa exterior a rebus præter naturam immodicæ alterantibus, vel a percussione plagæ, &c. proveniens, & caussa προκαταρκτική dicitur: vel vitium in contentis corporis, & hæc caussa interna, seu προηγουμένη vocatur, quæ cum ita connectitur morbo, ut ea remota, sequatur sanitas; coniuncta dicitur. morbum tamquam caussam effectus sequuntur symptomata, eaque sunt 1. functiones ipsæ seu actiones læsæ. 2. corporis affectus. 3. exectiones vel suppressiones. Signa autem nos in caussarum, & morborum cognitionem ducunt: quorum fontes in

idea

idea Hippocrat. & multis in locis à Montano monſtrantur. hæc dextre, ac diligenter medico conſideranda ſunt, ut nobis cauſſam morbi, locum affectum, & facultatis menſuram monſtrent. Hîc non tantum præceptio vim aliqua cognitio; ſed uſus quoque requiritur atque artificioſa coniectura opes eſt. Primo igitur ſic locus affectus cognoſcitur; cum conſiderata actione læſa eius inſtrumentum affectum videmus. Deinde per ea, quæ excernuntur, ut in urinis carunculæ, renes læſos indicant, laminæ veſicam, &c. Tertio ad cognitionem loci affecti ducit nos dolor. Quarto, ſymptomata propria, ut rubor maxillæ in peripneumonia. Cauſſæ vero conſiderandæ ſunt primum quidem principales, ſive ſint procatarcticæ, ſive προηγούμεναι, ſive coniunctæ. Deinde vidēda συναίτια, ſeu cauſſæ adiuuantes. tertio, ſi qua forte cauſſa habet λόγον, ὧ οὐκ ἄνευ, ſ. ſine qua non poteſt fieri curatio. Ac primum conſiderandæ res ſcilicet non naturales, videlicet, aer, cibus, potus, &c. deinde internæ; videlicet ſpiritus, & humores, & quicquid contentorum nomine complectimur. Poſtremo ipſarum cauſſarum connexio; ut in omni fluxione quatuor cauſſarum connexio eſt, una in materia; altera in membro mandante, ut vocant tertia in recipiente, & quarta in viis.

Conſideratis cauſſis cum facultatis læſio videtur, morbi magnitudo; apparet quam monſtrant ſymptomata vehementia, & dignitas partis effectæ. Hîc videndum, an plures morbi ſint complicati, an vero unus: & utrum is per conſenſum, ſeu συμπάθειαν inſit: an vero per ἰδιοπάθειαν: obſervandum

que an morbus ſit in temperatura, vel in compoſitione, vel in continui diſſolutione, & quo pacto primo & per ſe, quod morbi proprium eſt, actionem lædat. Hoc cognito morbus quidem ſui ablationem indicat. quid vero agendum ſit, terminus morbi, qui vel factus eſt, vel ſit, monet. Secundo quantum ſit agendum in mole, indicant corporis vires quantum in gradu, & conſideratione morbi & temperamenti totius hominis, vel partis, petitur. Tertio quomodo ſit agendum primo indicant ægri mores, ſeu natura inſiti, ſeu conſuetudine accerſiti. Huc autem tamquam coindicantia referuntur ætas, ſexus, vitæ genus, regio anni, tempus, conſtitutiones cæli, & τοῦ περιέχοντος. deinde quomodo ſit agendum, præcipue motus, & quies materiæ indicant, quæ aut fluit, aut fluxa eſt, aut partim fluxit, partim eſt fluxura. Poſtremo natura loci affecti: in qua conſideranda primum, ſubſtantia partis, ſitne carnea, venoſa, oſſea, &c. deinde modus ſubſtantiæ, utrum dura, mollis, rara, denſa. item temperamentum, compoſitio, & conformatio membri, ſitus, & forma, colligantia, ſeu cum aliis communitas, ſenſus præſtantia, nobilitas, & neceſſitas actionis. Quarto, quando ſit agendum; motus, & tempus morbi indicat. Motus vel eſt velociſſimus, vel velox, vel tardus. Tempora morborum tam univerſalia, quam particularia quatuor ſunt: principium, incrementum, vigor, ſeu ſtatus, & declinatio. Quinto, ubi ſit agendum, indicant ſitus loci affecti. ex his fontibus oriuntur ἐνδείξεις, ſeu indicationes, ſ. certæ animi compræhenſiones, ex collatione morbi, ſeu nocentis, & conferentis, ſ. auxilii rerum conſideratione collectæ, quæ medicum in recto propoſitio

agendi

agendi confirmant. id vero fit, cum vtriusque naturam, videlicet morbi, atque remedii caussas cognoscimus. & contraria contrariis recte opponimus: ac quid primo, quid secundo sit faciendum, statuimus. Hæc mentis comprehensio, quam medici *indicationem*, vt dixi, vocant, semper nobis in actione medica prælucere debet: eaque medicos artifices ab aliis imperitis, & audaculis practicis discernit. ac animaduertendum diligenter in actione medica est ad id, quod indicat (quod in morbis est præter naturam) & id quod indicatur, s. ad auxilium, seu remedium corpori offerendum. hinc illud vulgare dictum semper videndum, *quid natum agere, quid natum pati.* vbi vero plures sunt indicationes, s. agendi rationes: plura erunt etiam & diversa indicantia. hic quæ sint potiora, & digniora, æstimandum medico; ut ordine possit medicationem instituere, & necessaria primum facere. Sed de his aliquid diximus in nostra Therapeutica methodo: & hæc commonemus, ut videant tyrones, quid in tota *Isagoge medica*, quam instituimus, reliquum. nec existiment se uno momento, aut exiguo temporis spatio medicos fieri, posse. Porro, cum meditatio, quæ est recta remediorum, caussis symptomatum adversantium applicatio, in tribus consistat, in diæta, & recta victus ratione, pharmaceutica, & chirurgia; medicus considerata temperatura ægri, natura morbi, & præsertim virium diligenti ratione habita, debet victus rationem principio ægro præscribere. Deinde, si morbus a plenitudine, in quo missio sanguinis requiritur, primum chirurgiam aduocare, atque sanguinem extrahere oportet. Si vero cacochymia adest; principio per syrupos, qui Actuario, *Serapia*, &

Nicolao Myrepso δώσεις dicuntur præparato humore corpus est convenienti medicaméto purgandum. hîc vero medicamentum, s. quod tuto humorem superfluum educat, adhibendum est: atque illud Mesuæ tenendum, istum esse gradum sapientiæ, ut ad medicinas fortes non deveniamus, nisi ubi debiles non contulerint. Sunt autem tres purgantium medicamentorum, quæ substantiæ similitudine, seu forma propria humores, tamquam magnes ferrum, quemadmodum Galenus ait, eliciunt, classes: quædam enim prorsus maligna sunt; quia venenata qualitate purgant; ut esula, turbith, scammonium, præsertim nostrum colocynthis, hæc raro sine periculo exhibentur, nisi ab exercitato medico: ubi mediocria non adjuvant, adhibenda sunt, alia sunt medicamenta prorsus innocua, & benigna, ac lenientia potius, quam cathartica vocanda, quæ à fortiori calore statim in alimenti naturam transeunt; ut manna, medulla cassiæ, quam *florem* vocant, pruna, &c. hæc ante cibum sumpta aluum emolliunt. Alia sunt mediocria, ut aloë, rheubarbarum, agaricus, sena, quæ si recte, ac tempestive adhibeantur, nullam prorsus noxam inferunt, si secus; vel cum difficultate purgant, vel in humorem, quem educere debebant, transeunt, ut autem tuto, & facile purgent; primum forma, & quantitas conveniens eligenda est: secundo humores præparandi: tertio, ut viæ liberæ sint, videndum, quarto, ut cum naturæ vires integræ sunt, exhibeantur, nam viribus collapsis, & morbo superante naturam nulla medicatio recta est. Sed de evacuatione, ac variis formis medicamentorum purgantium, deque reliquis ad artem medicam pertinentibus, aliàs agemus plura. Hæc autem ideo, ut supra dixi, mo-

nui, ne tyrones existiment se subito ex inspectione compendiorum artifices fieri posse; & hanc divinam artem ordine ex Hippocrate, & Galeno, atque auctoribus probatis discant. In toto autem studiorum cursu insistant methodo, & integrum doctrinæ corpus constituere studeant, atque dum huic rei legentes scripta integra veterum operam dant, multas perspicuas, & communes sententias, quæ ἀξιώματα vocamus, adnotent, & Aphoristicam doctrinam augeant: familiares sibi, non solum lectione; sed inspectione diligenti, partium totius corporis humani appellationes reddant: horum substantiam, figuram, situm, consensum, compositionem, usum, & morbos teneant: morborum causas studiose investigent, & exempla curationum studiose observent; remedia discant: multa simplicia, & artificiosas compositiones ament. Non mirentur coacervationes, & confusiones medicamentorum; nullum remedii genus, nisi certa indicatione habita adhibeant, denique victus rationem, quæ in hac hominum, atque morum perversitate negligitur, studiose discant, & tueantur. De his vero plura monebo in nostra *methodo Therapeutica*; eam rudiorem, & tenuiorem esse, quam, ut in nomine Montani apparere debeat, hoc quoque loco fateor, & ut hic labor Tyronum medicinæ caussa susceptus à Deo Opt. Max. & benignissimo fortunetur; precor.

FINIS.

